RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibent ...

Specimen VIII

Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1742

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0001
DFG

Ma_3705.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0002
DFG

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE,
QVAE
VARIAS
OBSERVATIONES,
CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA,
EX
OMNI MEDICINAE AMBITV
PETITA
EXHIBENT.
SPECIMEN VIII.

CVM FIGVRIS,
ET
INDICIBVS IN TOMVM I.

WRATISLAVIAE,
APVD IOH. IAC. KORNIVM.
1742.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0005
DFG

CLEMENS ALEXANDRINVS.

OPORTET ET NOS QVOQVE ALLABORARE, ET ALIA ADINVENIRE; QVONIAM IIS, QVI EA VIA EVNT, QVAM NESCIVNT, SVFFICIT RECTAM SOLVMMODO INDICARE; POSTEA ET RELIQVVM VIAE INVENIENDVM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0006
DFG

OBSERVATIO I.

Anno 1740. & 1741. Wratislauia demortuorum Index.

VIam aliquoties iam tritam, nunc etiam sequendam, & reliquis obseruationibus demortuorum catalogum praemittendum esse, instituti nostri ratio iubere videtur. Auxit omnino numerum, Belli Patriam nostram quodammodo depopulantis, & praeter opinionem illati vis, ita tamen, vt, qui praeter consuetum morem, Wratislauiae tumulum inuenerant, aduenae fuerint militiae adscripti. Hanc interim excedentem summam, eam tantum a nobis expecta, *Amice Lector*, quam indices, ex templis Augustanae Confessionis, sub INCLITI SENATVS iurisdictione sitis, exhibent. Plurimi sane militum, in coenobiorum territoriis, extra vrbis moenia aegrotantium, decesserunt, & in Catholicorum coemiteriis sepulti sunt, quorum numerus nos latet. His praefatis ad ipsum calculum accedamus.

Anno 1739. a die 25. Decembris
ad finem vsque Mensis 27.
Anno 1740. Mense Ianuar. 105.
Februar. 108.
Martio 142.
Aprili 135.
Maio 141.
Iunio 111.
Iulio 111.
Augusto 160.
Septembri 179.
Octobri 235.
Nouembri 183.
Decembri
& quidem ad 24. Diem eiusd. 103.

Qui conficiunt Summam MDCCXLI. personarum. In his vero occurrunt *Viri* 266. *Vxores* 137. *Viduae* 159. *Iuuenes* 56. *Virgines* 69. *Pueri* nondum decennes, 553. *Puellae* eius aetatis, 458. *Pueri* ante natiuitatem extincti, 28. eius generis *Puellae*, 15. Numerantur etiam inter mortuos 1418. qui intra muros, & 323, qui in suburbiis INCLITI SENATVS iurisdictione subiectis, decesserunt. Caeterum notari merentur 13. *Puerperae;* 144. *Pueri, puellaeque* tempore puerperii, 38. paria *Fratrum, sororumque*, & inter supra notatos 1011. liberos, 404. *Variolis* extincti, 3. viri aqua suffocati, & 3. alii res suas agentes, molendinarum rotis

rotis miſere contriti. Excedit igitur numerus demortuorum eum, quem anno praeterlapſo exhibuimus, 324. capitibus, qui exceſſus omnino ſtragi a variolis excitatae, ſine dubio, adſcribendus eſt. *Nati* e contrario ſunt MCLXXXVII. *Pueri* videlicet 627. *Puellae* 560. quae ſumma minor eſt anni praecedentis 150. capitibus. *Nuptias* celebrarunt 333. paria. Aegri in *Noſocomium* vrbis ad O. O. S. S. miſſi ſunt, 359. ex quibus iterum, diuina benedicente gratia, & Medici ordinarii cura, ſanitatem recuperarunt 323. Anno ſequenti, Sileſiae ob multas rationes admodum notabili, vitam cum morte commutarunt

Ao. 1740.	a die 25. Decembris ad finem usque menſis	26.
1741.	Menſe Ianuario,	125.
	Februario,	103.
	Martio,	137.
	Aprili,	176.
	Maio,	215.
	Iunio,	175.
	Iulio,	180.
	Auguſto,	223.
	Septembri,	314.
	Octobri,	354.
	Nouembri,	295.
	Decembri,	
& quidem ad 24. diem ejusd.		196.

Qui additi summam constituunt MMDXIX. personarum. In his vero occurrunt *Viri* 1033. *Vxores* 212. *Viduae* 225. *Iuuenes* 120. *Virgines* 80. *Pueri* nondum decennes, 429. *Puellae* 360. *Pueri* ante lucis vsum denati, 40. *Puellae* huius generis, 20. *Nati* autem, qui nempe Sacro baptismatis fonte abluti sunt, *Pueri* 655. *Puellae* 574. Summa MCCCXXIX. *Matrimonii* vinculum contraxerunt 261. paria. Maior est, vt adparet, numerus demortuorum 778. personis, quam fuit ante annum. Cuius rei ratio, non alia esse videtur, quam occasione belli intra fines patriae nostrae subito exorti, proelium illud, in *campis Molwicensibus* die 10. Aprilis commissum, idque satis ab vtraque parte cruentum. Quo facto, haud paruus sauciatorum numerus *Wratislauiam* delatus, ibique curae & Medicorum & Chirurgorum creditus est. Nosocomio campestri sic tam extra, quam intra vrbem nostram, semel erecto, per omnem aestatem & autumnum, ingens militum aegrorum multitudo, ex castris huc conductus, numerum mortuorum, satis notabili modo auxit, vt ex adnotata virorum decessorum summa, ad reliquum sexum vix proportionem habente, facile coniicitur. Natorum numerus e contrario maior est 142. pusionibus illo, quem anno praecedente exhibuimus

buimus. In *Nosocomium* Vrbis, ad O. O. S. S. missi sunt 428. e quibus iterum 322. sani dimissi.

SCHOLION.

Varia more nostro, nec lectu indigna aut iniucunda, notare possemus, hos indices concernentia, statum praesertim variolarum epidemicum explicantia, vt ex Mensibus tam aestiuis, quam autumnalibus maxime anni 1740. adparet, vel ad Morbos castrenses, itidem autumno 1741. militibus ad modum exitiales, haud parum facientia, si vellemus esse longiores. Non optimi indolis fuisse morbos, qui inter milites hic aegrotantes, suam fabulam luserunt, vel ex eo adparet, quod duodecim Medici, qui iis opem tulerunt, febre maligna, exanthematica vt plurimum, ad vnum omnes correpti, & ex his D. D. HILDEBRAND, D. STEINBACH, D. KIESEWETTER Berolinensis, castra iussu Regio sequutus, & D. SCHVLTZE mortui sint. Ast nobis iam placet haec suo loco relinquere, & Lectoribus nostris potius & *Demortuorum & Natorum indices*, a duobus propemodum Saeculis collectos exhibere, quo videant, quam populosa semper fuerit Wratislauia, & quomodo indies incolarum multitudo auctior euaserit. Hunc Catalogum ex satis antiquo scripto, typis Wratislauienſibus in

quarto vulgato, concinnatum, postea ad nostra vsque tempora ex Schedis singulis annis publicari solitis, productum, D. D. KVNDMANNO nostro debemus. Occurrit enim in *EIVS Rarioribus Artis & Naturae itemque in Re Medica* (Wratisl. 1737. fol.) *pag. 1265. seqq.* Qui deerant, annos ex *Satyris nostris* addimus.

Anni.	Mortui.	Nati, vel potius Baptisati.
1555.	2298.	1636.
1556.	1224.	1112.
1557.	1231.	978.
1558.	1361.	1426.
1559.	1075.	1207.
1560.	1173.	1213.
1561.	1262.	1667.
1562.	1136.	1752.
1563.	915.	1551.
1564.	1209.	1328.
1565.	1216.	1446.
1566.	1079.	1093.
1567.	1079.	1550.
1568.	9251.	1053.
1569.	815.	895.
1570.	782.	1301.
1571.	1063.	845.
1572.	2441.	1129.
1573.	1007.	1211.
1574.	795.	1274.

Anni.

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1575.	941.	1265.
1576.	1201.	1218.
1577.	916.	1340.
1578.	828.	1279.
1579.	830.	1311.
1580.	1559.	1287.
1581.	1129.	1284.
1582.	1088.	1378.
1583.	1059.	1236.
1584.	1514.	1224.
1585.	8931.	1018.
1586.	1025.	927.
1587.	1154.	1305.
1588.	1373.	1165.
1589.	1265.	1380.
1590.	1140.	1315.
1591.	1167.	1224.
1592.	1069.	1260.
1593.	891.	1310.
1594.	1170.	1108.
1595.	1143.	1231.
1596.	1059.	1190.
1597.	1319.	1221.
1598.	1334.	1014.
1599.	3942.	1100.
1600.	2551.	849.
1601.	1202.	1011.
1602.	1066.	1073.
1603.	1014.	1215.

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1604.	922.	1146.
1605.	1030.	1089.
1606.	1261.	1102.
1607.	1281.	1155.
1608.	883.	1056.
1609.	1113.	1028.
1610.	1114.	1072.
1611.	1078.	1081.
1612.	1025.	1140.
1613.	2357.	1093.
1614.	966.	1065.
1615.	1384.	1112.
1616.	1957.	1081.
1617.	1643.	899.
1618.	1205.	999.
1619.	1304.	1077.
1620.	1456.	1187.
1621.	1657.	1271.
1622.	1045.	1399.
1623.	1050.	1127.
1624.	1260.	1193.
1625.	3000.	920.
1626.	1874.	993.
1627.	1227.	1073.
1628.	1020.	1012.
1629.	1116.	1048.

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1630.	1156.	969.
1631.	1795.	971.
1632.	1395.	1036.
1633.	13231.	1066.
1634.	1010.	874.
1635.	949.	1095.
1636.	873.	1024.
1637.	1060.	1007.
1638.	863.	903.
1639.	928.	954.
1640.	1273.	1046.
1641.	1088.	1061.
1642.	1343.	1304.
1643.	1332.	1141.
1644.	1570.	1072.
1645.	1133.	1088.
1646.	1042.	994.
1647.	1273.	1029.
1648.	1111.	967.
1649.	1083.	802.
1650.	746.	868.
1651.	756.	838.
1652.	741.	777.
1653.	875.	777.
1654.	789.	794.
1655.	996.	895.

Anni.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0015
DFG

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1656.	863.	899.
1657.	920.	829.
1658.	898.	844.
1659.	848.	865.
1660.	1001.	874.
1661.	824.	854.
1662.	997.	860.
1663.	806.	834.
1664.	861.	889.
1665.	1065.	911.
1666.	1284.	855.
1667.	1448.	815.
1668.	1152.	847.
1669.	1353.	849.
1670.	982.	937.
1671.	1032.	975.
1672.	928.	979.
1673.	1253.	989.
1674.	933.	982.
1675.	987.	986.
1676.	1628.	946.
1677.	1207.	952.
1678.	1235.	1042.
1679.	1189.	966.
1680.	1080.	961.
1681.	1568.	1058.

Anni.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0016
DFG

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1682.	1232.	1068.
1683.	913.	1108.
1684.	1146.	1117.
1685.	1251.	1081.
1686.	1438.	1139.
1687.	1087.	1134.
1688.	1009.	1152.
1689.	1161.	1119.
1690.	1375.	1235.
1691.	1225.	1224.
1692.	1283.	1096.
1693.	1607.	1163.
1694.	1513.	932.
1695.	1572.	953.
1696.	1236.	1206.
1697.	934.	1055.
1698.	1104.	1124.
1699.	1198.	1067.
1700.	1358.	1078.
1701.	1114.	1061.
1702.	1317.	1109.
1703.	1096.	1210.
1704.	1090.	1279.
1705.	1282.	1196.
1706.	1240.	1272.
1707.	1379.	1241.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0017
DFG

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1708.	1368.	1328.
1709.	1337.	1291.
1710.	1120.	1224.
1711.	1273.	1220.
1712.	1412.	1155.
1713.	1306.	1156.
1714.	1338.	1084.
1715.	1728.	968.
1716.	1446.	1054.
1717.	1514.	1160.
1718.	1255.	1152.
1719.	1728.	1130.
1720.	1816.	1120.
1721.	1482.	1195.
1722.	1719.	1335.
1723.	1321.	1395.
1724.	1466.	1322.
1725.	1441.	1339.
1726.	1462.	1350.
1727.	1734.	1275.
1728.	1687.	1166.
1729.	1716.	1336.
1730.	1436.	1169.
1731.	1809.	1297.
1732.	1745.	1306.
1733.	1561.	1216.
1734.	1294.	1375.
1735.	1765.	1284.
1736.	1607.	1373.

Anni.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0018
DFG

Anni.	Mortui.	Baptisati.
1737.	3083.	1049.
1738.	1532.	1144.
1739.	1417.	1337.
1740.	1741.	1187.
1741.	2519.	1329.
Quae summam, in CLXXXVII. annis, conficiunt salu. er. calc.	270383.	210531.

Mortui igitur sunt in notato temporis spatio, 59852. personae plus, quam baptisati. Si considerantur anni 1555. 1568. (a) 1572. 1585. (b) 1599. 1600. 1613. 1625, & prae reli-

(a) HENELIVS *Annalib. Silef.* apud *SOMMERSBERG Script. Rer. Silef. Tom. II. pag.* 428. Pestifera lues hoc" anno Wratislauiae saeuiit, adeo vt extingueret homi-" num vltra X. Millia."

(b) HENELIVS *lib. cit. pag.* 445. Pestis contagio ma-" gnam, tota fere Regione vt & in Lusatia, Boiemia," Misnia, & Saxonia, stragem dedit, imprimis vero Wra-" tislauiae: vbi quam plurimi hominum quotidie ex-" tincti efferebantur, in quibus aut fortuna aliqua, aut" dignitas erat, certatim relicta Vrbe, alio commigran-" tibus. Octies mille quadringentorum triginta &" vnius capitum omnis generis, cum in ipsa vrbe, tum" in suburbiis absumta scribuntur." Refert quidem POHLIVS *in Annal. Wratisl. Mst.* eundem, quem nos exhibuimus, numerum, interim tamen saluari potest HENELII autoritas, si eundem saltim numerasse dicamus peste consumtos, POHLIVM vero, omnes alio morbi genere mortuos.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0019
DFG

reliquis 1633, porro 1737. & 1741, vbi mortui, numerum efficiunt 53604, facile patet numerum natos excedentem adscribendum esse maximam partem aut ipsi pestilentiae, aut alio morbo epidemico non minus graui. Demus singulis annis 1200. mortuos, qui in his vndecim annis epidemico malo laborantibus, & a nobis notatis, aliis morbis migrarunt, nonne restabunt 40404, adfectui cuidam contagioso, aut maligno incolis admodum funesto, adscribendi? Non adeo multum excederet numerum natorum, decedentium summa, intra duorum fere Saeculorum spatium, si vrbs nostra a morbis grauioribus epidemicis fuisset libera. Quale quid etiam vltra Saeculum, ab anno 1634. ad 1737. factum esse ex indicibus clarum redditur. Porro & illud notatu dignum videtur, quod singulis propemodum *Saeculi decimi* sexti annis, si excipiantur hi, qui malo quodam epidemico conflictati sunt, natorum numerus maior existat illo decessorum, licet id in vrbibus incolis bene stipatis, alio se habere soleat modo, eis praesertim, quae advenarum ex peregrinis oris copia, populosiores redduntur. Aliter res cecidit *Saeculo* sequenti nempe *decimo Septimo*, belli tricenalis tempore, vbi numerus fato functorum semper propemodum maior est nato-

natorum. Cuius rei ratio alia esse nequit, quam status vrbis neuter, & exinde belli calamitatibus haud obnoxius. Quo factum est, vt ingens hominum, sui, bonorumque suorum securitatis causa, in vrbem concesserit habitandum, & per consequens funerum copiam auxerit. Pace deinceps iterum restituta, plurimi antiquas, bello quidem vastatas sedes, repetentes, vrbemque sic incolis spoliantes, numerum & morientium & natorum satis notabiliter diminuerunt, donec vterque annis insequentibus maior redderetur. Plures easque lectu digniſſimas meditationes legi possunt cui volupe est, in erudito Kundmanniano, a nobis supra citato opere.

OBSERVATIO II.

Trias Relationum Medico-Forensium in Casu letalitatis Vulnerum.

A. Homicidium inuoluntarium, casui non ictui adscribendum.

NOs infra scripti, & a *Tit. tot.* D. IOHAN. FREDERIC. a SAVRMA, Haereditario in Kuchendorff, ad cadauer pueri duodecennis, IOH. CHRISTOPH. ZVELLICH, die antecedente demortui, inspiciendum, & desuper testandum legitime

requisiti, hunc actum in Sculteti & Scabinorum praesentia in nos susceptimus, & sequentia notauimus. Cadauer erat ratione aetatis satis procerum, & membris sanis legitime formatis praeditum. In tergo, vt omnes mortui solent, quodammodo liuidum; in dextro brachio & nate paululum suggillatum, quae iam euanescens suggillatio, passae ante paucos dies leui verberationi, adscribenda videbatur. Artus omnes rigidi praeter Caput, quod moto corpore in vtrumque latus facile dilabens, in regione occipitis, & dextri temporis, a sanguine coagulato quodammodo suggillatum repertum est. In dextro Colli latere retrorsum, duos supra os clauiculae digitos, maculam grossi argentei magnitudinem haud excedentem, coloris ex coeruleo nigrescentis, epidermide vbique excoriata notauimus, tanquam locum illum, vbi a CHRISTOPHORO LVDEWIG, inquisito, instrumento quodam rustico, quod Rollam vocant, & ad vomer abradendum usurpant, sesqui vlna longo, digiti crassitiem aequante, ligneo, ferro non munito, viginti octo lothones libra pendente, siue feriendo siue iaculando ictus est. Post separatam more solito cutem, in nucha, interior integumenti communis superficies, ictum vix notatum distincte monstrauit, musculi subiecti

iecti tamen neque ſuggillati, neque contuſi, aut vllo alio modo laeſi adparebant. Colli muſculis deinceps diſſectis, nulloque ſanguine in interſtitiis eorum coagulato aut extrauaſato reperto, excepto illo, qui inter ſecundum ex tubulis diſciſſis effluebat, primam & ſecundam colli vertebram luxatas, ita vt ſpatium diſtans minimum digitum fere admitteret, inuenimus. Cranio ſerrae beneficio ablato, & meningibus cultro apertis ſinus omnes cerebri, praeſertim laterales ſanguine infarcto turgebant, Baſis cerebri & cerebellum ſanguine coagulato nigro tegebantur. Cerebri ventriculi laterales, praeſertim quartus, Cruore coagulato nigro, repleti, qui etiam ſatis magna quantitate circa medullae oblongatae initium & progreſſum inuentus eſt. Ex his notatis ergo concludimus, quod eiusmodi corporis ſtatus neceſſario letalis, & mortem fere in momento, quod etiam effectus docuit, cauſare ſufficiens ſit. Interim tamen veritatis & conſcientiae cauſa fatemur, relicto interea prudentioribus iudicio, ſubitaneam pueri mortem non tam ab ictu accepto, quippe qui nihil praeter cutem, imo ne quidem muſculos immediate laeſioni ſubſtratos, ſauciauit, ſed potius a caſu quodam in caput, vnde enormis illa vertebrarum colli luxatio, & conſequenter ex-

trauasatio & stagnatio sanguinis, ac cerebri medullaeque oblongatae vehemens compressio facile deducenda, repeti debere. (a) Hoc autem scriptum nostrum, Medicis, Anatomicis & Chirurgicis principiis analogum esse, nosque praesentem visitationem iuxta scientiae & conscientiae nostrae dictamen peregisse, propria subscripta manu, & impresso Sigillo testamur. Actum Kuchendorff d. 24. Octobr. 1734.

(L. S.) GODOFR. HENR. BVRGHART, Med. D. Pr. Wratisl.

(L. S.) IOH. GEORG. WECKER, Chirurg. Iuratus, & Balneator Seiffersdorffensis.

B. Infanticidium falso imputatum.

NOs infra scripti, hodierna die a Perillustri Domino, Domino IOHAN. FERDINANDO L. B. de SANDRETZKY, Haereditario in Gros-Elgut, Superiori & Inferiori Panthenau &c. ad infantem mortuum,

(a) Nos recte iudicasse, inquisitionis acta postmodum exposuerunt, nam inquisitus, puerum equo aratrum trahenti insidentem, opusque suum negligenter per agentem, ralla iactu missa coercere voluit; Puer vero ictum declinare studens, & velociter se inflectens, ab equo in terram praeter opinionem suam vt videbatur, cecidit, & allisо vehementer capite, e vestigio exspirauit. AVTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0024
DFG

tuum, a MARIA OSWALDIN, extra matrimonium in Gros-Elgut, sine vllius hominis ope clam in lucem missum, postea ab hospite inuentum, inspiciendum & dissecandum requisiti, hunc actum iuxta tenorem Constitutionis Criminalis Iosephino-Carolinae, in loco iudicii & praesentia Sculteti & Scabinorum absoluimus & sequentia notauimus.

1. Foetus prout vterum egressus erat, nondum ablutus, & linteo coeruleo inuolutus nobis tradebatur, qui masculini generis, caeterum macilentus, mediocris magnitudinis, membris paruis parum carnosis praeditus, flaccidus, interim maturus erat, vt vnguès satis duri, manuum pedumque, & caput pilosum testabantur. Secundinis adhuc cum corpusculo funiculi vmbiliculis interuentu conexis, postea discissis, cadauer obstetrici, vt ablueretur, traditum, artus externos omnes situ naturali, nulloque manifesto signo, laesionis vi externa factae, notatos exhibuit. Caput sphaericum nihil peregrinum monstrabat, nisi quod in regione futurae Lambdoideae maculae quaedam rubescentes, pisi magnitudinis occurrerent. Oculi vero & os adeo arcte claudebantur, vt posterius non sine adhibita vi quadam, spatula

aperiri debuerit. Scrotum ſuperius paululum liueſcens, inferius macula rubra groſſiculi magnitudine notabatur.

2. Aperto capite, & oſſibus cranii cultello omni cura ſeparatis, ſubſtantia cerebri ſine vitio, ſinus autem ſanguine nigro turgidi inuenti ſunt, qualis etiam niger, extrauaſatus, non tamen coagulatus in occipite reſtitans cruor, ad duorum vel trium cochlearium quantitatem inter ſecandum effluxit. Separatis deinceps colli muſculis, ſecundam vertebram, quam Epiſtrophum vocant, ita luxatam eſſe obſeruauimus, vt ſpatium inter eam & primam factum, minimum fere digitum admitteret.

3. Thorax apertus nihil extraordinarium exhibuit. Pulmones obſcure rubicundi, collapſi, ſufficienti imo magnae quantitati aquae immiſſi, lapidis ad inſtar fundam petebant.

4. Abdominis viſcera quoad ſitum & ſtatum naturaliter ſe habebant, praeter inteſtina tenuia, quae nigreſcebant, & ſphacelo corrupta videbantur. Scrotum materia quadam viſcida & glutinoſa infarctum erat, teſticulis etiam nigreſcentibus.

Ex his ſimul ſumtis concludimus, foetum non viuum eſſe natum, ſed eundem iam ante partum in vtero materno, ſphacelo ſub-

ſubſequutis conuulſionibus, vnde ſanguis ater intra caput extrauaſatus, osque tam firmiter clauſum, deduci facile poſſunt, exſpiraſſe, quo experimentum cum pulmonibus factum ſubſidentibus pulchre conſpirat. Colli vertebrarum luxatio aut conuulſionum effectus eſt, aut poſt mortem in nato puero demum accidebat, quia nulla ſigna vis externae, nulla videlicet in hac regione ſuggillatio, nulla muſculorum contuſio, ſanguis extrauaſatus & coagulatus nullus, circa laeſionem adparuerunt. Quod noſtra haec ſententia arti Medicae & Anatomicae analoga ſit, praeter experientiam multifariam, etiam doctiſſimi Medici, veluti ZACCHIAS *in Quaeſt. Med. leg.* AMMANNVS *Prax. vuln. lethal.* BOHNIVS *de renunciat. vuln. lethal.* WELSCHIVS *in rational. vuln. lethal. Iudic.* ALBERTI *Syſtem. Iurisprud. Med.* GOELICKE *Diſſert. de Subſident. Pulmon.* aliique plures teſtantur, & nos ſcientiae & conſcientiae noſtro dictamine egiſſe, propria ſubſcripta manu, & impreſſo Sigillo fidem facimus. Actum Gros-Elgut d. 26. Auguſt. Ao. 1737.

(L. S.) CHRISTOPH. TIMOTH. BVRGHART, Med. Doct. & Phyſ. Prouinc. Reichenbach.

(L. S.) I. G. BVETTNER, Chirurg. Iuratus Reichenbachenſ.

C. Infanticidium ab vtroque parente perpetratum. (b)

NOs infra scripti, Medicus & Chirurgus, & super hunc actum specialissime iurati, ab *Tit. Tot.* MARIA ELEONORA de STVDNITZ, nata de TSCHIRSCHKY, Haereditaria in *Schmitzdorff* & *Kattern*, die 13. Ianuari ad Inspiciendum cadauer infantile, legitime requisiti, Inspectionis & Sectionis actum in nos, praesente Iudicii criminalis Actuario, & scabinis, suscepimus, & sequentia obseruauimus.

1. Cadauer, quod a scabinis antecedente die, factaque Inquisitae indicatione, ex cella cereuisiaria, vbi sacculo linteo inclusum hactenus sepultum, iterumque effossum, propter frigus hybernum, leuiter glacie tectum & rigidum erat. Aqua tepida deinceps flexile redditum proinde ex sacculo extractum, puerum omnibus partibus absolutum, legitimo tempore natum exhibuit, vt Pilorum in capite, cilio-

(b) Ita nos certiores reddidit D. AVTOR in Epistola missa, qua scribit: Delinquentes sunt maritus & vxor, qui amplexus coniugales ante solemnes nuptias anticiparunt, & puerum inde genitum ob metum poenae & maculae interfecerunt, atque deinde horrendi criminis poenam capite plexi dederunt. COLLECTORES.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0028
DFG

ciliorum & ſuperciliorum praeſentia, vngues ſatis denſi, cutis epidermide tecta, magnitudo corporis conſueta, & muſculi adipe dictincti, abunde probarunt.

2 Funiculus vmbilicalis diſſectus quidem, non autem ligatus repertus eſt, ſecundinis putredinem iam olentibus, ſimul praeſentibus.

3. Dextrum latus a capite ad calcem compreſſum, auris dextra itidem capiti arcte compreſſa. (Aeuſerlich war die rechte Seite vom Kopf biß auf den Fuß gantz breit gequetſchet das rechte Ohr plat an den Kopf angedrücket.

4. Facies & dextrum capitis latus tumidum, totumque caput, pectus, humeri ſuggillati, foueae vero his partibus impreſſae, albae, collum ſuggillatum circum circa notabatur linea coloris adhuc obſcurioris. In regione hepatis & lienis, in vtroque hypochondrio, ſuper coſtis ſpuriis macula occurrebat coeruleſcens, magnitudine vncialis.

5. Aperto pericrauio itidem ſuggillato, totum cranium ſanguine extrauaſato & coagulato, cuius portio in dextro latere, coloris dilutioris, in glaciem abiit, tegebatur. Naſi oſſa compreſſa, reliqua in

ſitu & ſtatu naturali. Venae ſuper oſſe frontis, & Bregmatis ſiniſtri diſperſae, ſanguine turgeſcebant.

6. Cerebrum a putredine iam corruptum, fluidumque redditum, adcuratiorem inquiſitionem reſpuebat. Sub fonticulo ſatis bona quantitas cruoris extrauaſati & coagulati occurrebat.

7. Thorace aperto, qui praeter externam ſuggillationem nihil praeternaturale exhibuit, Pulmones ſani, coloris dilute rubicundi, veſiculis aere repletis, inuenti ſunt. Curioſitatis gratia adhuc notamus, maiores quasdam in lobo pulmonum dextro occurrentes cellulas, aut veſiculas, quae apertae nullum in ſe humorem, ſed ſolum aerem continebant. Exſecti pulmonum lobi in ſatis amplum vas aqua plenum iniecti natabant, & vltra horae ſpatium, vsque ad Sectionis finem, ſic manebant. Cor ſatis magnum, rubicundum, ſanguine fere vacuum. Qui cruoris defectus in maioribus venis etiam notabatur.

8. Aperto abdomine, Stomachus, Hepar & lien, colore imbuti erant caeruleſcente, inteſtina atro, & putredini iam obnoxia, reliqua inteſtina in ſtatu naturali.

Quum inſuper inquiſita, facilem partum, ſatisque celerem, iam ſit faſſa atque id, quod in foetu, quinquaginta dies iam ſepulto obſer-

obſeruatum eſt, collectiue ſumatur, ſequentia ſecundum conſcientiae noſtrae normam concludimus. 1. Foetum legitimo tempore excluſum eſſe, nec abortum dici mereri; 2. Embrionem in vtero ſanum vixiſſe, & poſt partum reſpiraſſe; 3. Eumque per conſequens violenta morte, &, ſi coniecturis locus eſt per compreſſionem lateris dextri, aut ſtrangulationem colli, periiſſe; quo ſuum etiam contulit ſymbolum, neglecta funiculi vmbilicalis ligatio, ſatis funeſtam haemorrhagiam excitans, vt ſimul cruoris in partibus internis defectus teſtabatur. Hoc noſtrum igitur iudicium principiis artis Medicae & Anatomiae ſuperſtructum eſſe, ſubſcripta manu propria, & impreſſis Sigillis corroboramus. Actum Schmitzdorff d. 13. Ianuarii Ao. 1740.

(L. S.) GOTTLOB EHRENHOLD BVRGHART, Med. Doct. & Practicus Nimicenſis.

(L. S.) HEINRICVS SIGISMVNDVS KRIEGEL, Chirurgus Iuratus & Balneator in Gros-Kniegnitz.

OBSER-

OBSERVATIO III.

Beati IOH. GOTTLOB BERGMANNI, (c) *Chirurgi quondam Reichenbacensis.*

Tumor fungosus a carioso Dente.

MUlier quaedam rustica, trigesimum sextum aetatis annum agens, perpessio horrendo, satisque diuturno dentis molaris maxillae superioris dolore, quo etiam dens adfectus non solum carioſus reddebatur, sed etiam frustulatim successiue excidebat, Tumorem in loco adfecto nascentem indiesque altius excrescentem obseruauit, vt sibi prompto consilio videretur opus. Quo fine Chirurgum quendam Nimicensem aduocat, qui tumorem fungosum, auellanam propemodum magnitudine referentem, formamque ficus habentem, facili negotio forfice abscidit, & remediis quibusdam vsurpatis cicatricem indu-

(c) Hunc virum artis suae gnarissimum, immaturo fato viuis exemtum vehementer dolemus. Longiori profecto vita dignus erat, praesertim quum Chirurgi artem suam probe callentes, in his oris satis rarae sint aues. Vitam eius alio loco recensendam nobis reseruabimus, quod etiam de obseruationibus eiusdem *Lectores* sperare iubemus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0032
DFG

induxit. Sed ſcena paulo poſt iterum mutabatur, Tumor recruduit, & intra anni ſpatium nucis iuglandis molem exceſſit. Iam res ad me defertur. Quum vero gravidam obſeruauerim aegram, autor ſuaſorque fui, vt, priusquam aliquid tentaretur, puerperium patienter expectaret, abſolueretque. Quo facto Tumorum, cultello longa gracilique cuſpide inſtructo, totum ſeparaui, haemorrhagiam largiter ſubſequentem, plumaceolo *Spiritu vini rectificatiſſimo* imbuto, & *puluere* quod *ad haemorrhagias* mihi familiari (d) inſperſo, laeſioni immiſſo, & vltra horae quadrantem digitis adhibitis, quia hoc loco faſciis commodis non erat locus, compreſſo, compeſcui. Poſt aliquot dies, quum nullum porro Symptoma mali moris ex vulnere metuendum eſſet, cauſam mali, quam nullam aliam eſſe, praeter dentis carioſi reliquias, in alueolo adhuc latitantes, rebar, amouendam putaui. Effectus etiam teſtabatur de coniecturae veritate. Extracto eiusmodi fruſtulo, carie exeſo, carnem alueolum replentem huc vsque fricante, & ſic fungum excitante, & alueolus & vulnus, *Eſſentia Myrrhae* cum *melle roſato* remixta, diligenter, bis in die, foue-

(d) Puluerem illum ſatis probatum data occaſione exhibebimus.

fouebantut & septimanae spatio cura ad finem perducta est.

SCHOLION.

Tumorem illum ex eorum classe fuisse patet, quos FAVCHARD *Chirurg. Dentist. Tom. I. Cap. XVII. pag.* 209. (Editionis lingua venacula Berolin. 1733. 8vo impressae) *Epulides* vocat. Duplices esse generis constat, alios nempe molles, albos, quasi polipolos, doloris expertes; alios e contrario, duros, rubicundos, doloribus stipatos, mali moris, in scirrhum & cancrum demum degenerantes. Cuius conditionis tumor in obseruatione descriptus esse videbatur. FAVCHARD *lib. alleg. Tab. IV. fig.* 4. *&* 5. eiusmodi tumorem, depinxit, vt adpareat, ad qualem magnitudinem quinquennii spatio excreuerit, quae tamen vix auellanam aequabat. Notabilior igitur noster est, qui iuglandem excessit. Dentium caries interim malum merito habendum est, cuius effectus haud raro satis funesti, reperiuntur. Non vnum nobis experimentum innotuit, sed saepius repetita experientia, nos aliosque maximo suo damno edocuit, quid periculi postea sequutum sit. Virginem ex illustri stemmate natam, tantum allegamus, quae per aliquot annos a fistula maxillae inferioris, materiam foetidam, multam, fundente, & trium vel quatuor Medicorum & Chi-

& Chirurgorum consilia, imo ferrum & ignem respuente, diu & misere vexata est. Omnis labor in cassum adhibebatur, ipsa saliuatio in vsum licet frustra, vocabatur, omnis vero restitutionis spes collabi videbatur, aegra prognostico relicta desperatis adnumerabatur, quia ossium aderat profunda caries, quae licet eucheiresi conuenienti tolleretur, & vnus vel alter vlceris fistulosi sinus clauderetur, mox recruduit, donec, quod in opprobrium adhibitorum artificum, alias artis suae probe gnarorum dictum sit, circumforaneus dentifrangibulus, qui, vt inspiceret vlcus insanabile, etiam aduocabatur, omnis mali fomitem nil aliud esse pronunciaret, quam frustulum dentis cuiusdam carioſi, profunde alueolo suo inhaerens. Effatum primo intuitu incredibile habitum, extracta tamen, in Medici & Chirurgi praesentia, radice dentis carie consumti, reddebatur verum. Quae restabat deinde maxillae caries, facili negotio vt & fistulosum vlcus, per Chirurgum solide sanatum est. Dolendum sane fuit, & Medicos & Chirurgos, tam hebetis fuisse ingenii, vt non diligentius in veram mali causam inquisiuerint. Haec negligentia profecto excusari non meretur. Euellebant quidem vnum vel alterum dentem, quem corruptum omnino deprehendebant

debant

debant sed vlceris causa, & frustulum illud, omnis mali fomitem, ne adesse quidem credebant. Tam magni effectus pendent interdum ab adeo parua causa. Si scire est rem per causas cognoscere, morbi sane scientia, artisque vsus, in causarum cognitione & inuestigatione consistunt.

Quae vero ex hac obseruatione fluunt consectaria, sequentia sunt. I. Epulidem facile oriri a dentium aut maxillae carie: II. Epulidem semel quidem tactam, at non e fundamento sanatam, facile recrudescere, & in maiorem molem, ac breuiori temporis spatio excrescere, quam antea: III. Prouidum & omnia probe perspicientem requirunt Epulides Chirurgum, ne superficiaria sanatione, & aegrotum & morbum fallat: IV. Partibus dentis & maxillae carioſis remotis, Epulides, praegressa sectione, in solidum demum sanantur: V. Epulides in parulides, id est vlcera manantia, sordida, degenerantes, aut fistulas difficilis sanationis, aut carcinomata cancrosa, omnem medelam respuentia causant.

(o)

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Beati D. D. SCHOLTZII, (*) Medici quondam Ceruimontani.

Maxillae caries, aliaque funesta symptomata, ex Chirurgi insciti a.

Cuius quidam Ceruimontanus quadragenarius, Odontalgia intolerabili laborans, dentem molarem maxillae dextrae inferioris, prae reliquis adfectum, sibi extrahendum curauit. Aduocat tonsorem, qui adhibitis instrumentis, aegrum vltra semihoram carnificis ad instar excruciat, adeo vt ipsemet imperitus dentifrangibulus aegri patientiam, & in tolerando dolore constantiam admiratus sit, dicens: **Der Herr hält gutt aus.** Extrahitur demum dens, sed satis infausto successu; maxilla enim erat fracta, & in aliquot partes contrita. Quo facto mox Gingiua, malaque dextra mirum in modum intumescunt.

(*) In manus nostras inciderunt Medici huius non indocti Manuscripta quaedam, in quibus etiam volumen erat obseruationum eiusmodi adfectuum, qui Empyricorum & Medicastrorum ineptitudine male cesserunt. Plurima inter hoc occurrunt lectu non indigna, quorum specimen in praesenti exhibemus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0037
DFG

Qui tumor indies augetur & abſceſſum minitare videtur. Chirurgus interea tumorem illum, antequam pus erat coctum, aperit. Hanc vero ſatis imprudenter ſuſceptam operationem, infernales propemodum ſequebantur dolores, quos quidem Epithematibus, aliisque huius farinae remediis, ſedare tentauit Chirurgus, ſed incaſſum, per vndecim enim hebdomadas eadem vehementia durabant, qua coeperunt. Nec tumor remiſit. Facti praeterea ſunt ſponte ſua, & in ore & in externa mala, quidam abſceſſus, vel potius foramina, quae carne fungoſa mox iterum replebantur. Carnem illam fungoſam cauterio actuali remouere laborat, ſed quoties & quo die, candente ferro aufertur, toties & eodem die renata eſt, ita vt poſt vndecim ſeptimanarum toleratos ingentes cruciatus, eadem vt ab initio ſpes ſanitatis adfulgeret, hoc eſt, plane nulla. Tonſor demum ignorantiae ſuae aut ruſticitatis conſcius, dum ſe malo curando imparem vidit, ad aegrum dixit: *Res ſane ſupernaturali modo heic vertitur, caro fungoſa, quae alueolum replet, naſo, auribus, & oculis eſt praedita, ipſumque diabolum eſſe perſuaſus ſum.* Es gehet wohl nicht recht zu, das wilde Fleiſch ſtecket und gucket zum Loche, wo der Zahn geſtanden, heraus. Es hat das Ding, ſo

heraus

heraus ſiehet, Naſen, Ohren und Augen. Wahrhafftig, es iſt nichts anders, als der Teufel ſelbſt. Aeger hoc ſolatio perterritus, alium aduocat eumque prudentiorem Chirurgum, eiusque auxilium implorat, qui etiam, extractis maxillae carioſae feſtucis, leui opera, intra duarum hebdomadarum ſpatium, aegrum ſanitati reſtituit.

SCHOLION.

Praeſentem caſum antecedenti propter materiae adfinitatem, adnectere voluimus, quo videant lectores, quam facile Offium caries, & fiſurae, carnem luxuriantem pariant nullo modo ſanandam, niſi Offium vitio prius medeatur. Chirurgi porro in extrahendo dente adhibita ineptitudo, & in tumore ante tempus aperiendo temeritas, eo tantum caſu excuſabilis, ſi mox, operatione facta, in maxillae conſtitutionem inquiſiuiſſet, omnes certe deterrere poſſent, ne dentes ſibi inſtrumentis extrahere paterentur in poſterum, eorum dolore vexati. Quemlibet ergo hanc operationem in ſe ſuſcipientem, aut ſaltem ſuadentem, ſerio monemus, vt non inexercitatus ad eam accedat, omniaque probe perpendat, inque dentium ſanam aut morboſam vel carie iam exeſam, & maxillae, qualitatem, praeſertim inferioris, vtrum nempe os craſſum, durum, an vero tenue

& molle sit, inque porro instrumentorum vim, Chirurgi naturale robur plus minus augentem, & adplicandi modum eorum, diligenter inquirat, felix enim & exoptatus euentus huius operationis, quae omnino satis violenta est, maximam partem ab enumeratis rebus pendet. Illud interim, quo Chirurgaster suam inscitiam & ineptitudinem excusare & palliare tentauit, diabolum nempe fabulae immixtum esse, intactum relinquere volumus, licet nobis admodum difficile sit, Satyram non scribere. Saepius tamen, praesertim superioribus temporibus, simile quid factum fuisse credimus, adeo vt, si quis omnes morbos, quos veteres malo genio, magiae, fascino adscripserunt, post eos qui fraudi, interdum etiam piae, hominumque versutae malitiae originem debent, artificum inscitiae, verarumque causarum ignorantiae, ob cruda adhuc verum naturalium studia, vindicare vellet, per nos liceat. Quod demum ad consectaria adtinet ex hoc casu fluentia, eadem esse scias *Lector*, quae ex praecedenti expressimus, hic vltro non repetenda. COLLECTORES.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Beati IOH. GOTTLOB BERGMANNI, Chirurgi quondam Reichenbacenſis, Trias caſuum Chirurgicorum.

A. Tumor in Genu ab humore articulari coagulato.

FAber quidam ferrarius, Vir alias vegetus nec aetate confectus, ſine notabili praegreſſa cauſa, vehementi dolore pungente in pedis vnius genu corripitur, cui mox ſuccedit tumor, ſed absque inflammatione. Qui tumor, quum in vno latere comprimeretur, quodammodo euanuit, ſed in oppoſito altius eleuabatur, manifeſto teſtimonio, quod materia intus latitans, ſub patella perflueret. Pus coctum non eſſe exinde coniici potuit, quia cutis color idem adparuit, nullusque rubor, inflammatio nulla, neque febris ſuperuenere, quibus tamen natura alias ſuppurationem moliri ſolet. Remediis malum adgredior, quae blanda vi ſuppurationem promouerent, aut ſi adhuc poſſibile eſſet, diſcuſſionem efficerent, inter quae *Spiritus vini* prae reliquis vtrique ſcopo aptus deprehenditur. Poſt tredecim dies Natura demum ſuppurationem moliri videbatur. Tumor nempe

leuiter inflammatur, motusque febriles oriuntur. His adparentibus ad vnguentum quoddam emolliens confugio, tantae efficaciae, vt tertio die praeterlapso fieret incisio, ope scalpelli admodum profunde punctim intrusi. Primo quidem pus probe coctum, sed in admodum parua quantitate, effluxit, reliquum humoris intus contenti, fluidum erat admodum spissum & tenax, vno verbo humor articularis. Qui, nisi profunde scalpelli cuspidem adegissem, temporis successu, in coagulum & demum callum, omnem membri motum impedientem abiisset. Humor deinde fluidior, Synouiae nomine notus, per aliquot dierum spatium profluens, presso imprimis tumore, decocto ex *herba Scordii, Hyperici, Foliis Nicotianae & Gummi Myrrhae rubrae* cum *vino*, parato, Syringa tepide iniecto, licet satis parua eius portio fundamentum abscessus adtingere potuerit, & quidem ex ea ratione, quod antequam in locum adfectum penetraret, sub patella transfluere necessum habuerit, intra breue temporis interuallum successiue sistebatur. Quo facto finem curae imposui *Emplastro Gryseo*, in eiusmodi casibus mihi familiari, & effectum intentum vbique producente.

SCHOLION.

Vnde humoris articularis nimius adfluxus,

xus, & per consequens stasis, ortum duxerit, ex enumerato casu haud liquet, nisi forte subluxationem quandam leuiorem, ex malo gressu, inscio fere aegro factam (**Eine Verstauchung oder Vertretung, durch einen gethanen übeln Tritt, oder Ausgleiten des Fusses**) & inde tubulos aliquos Secretiori Lymphae articularis dicatos, ruptos, contusos, adcusare, aut congestionem ex naturae beneplacito, Gonagram intendentis ortam, inculpare velimus. Sit interim quid sit, Chirurgum nostrum, & morbum bene iudicasse, & conuenientem medendi methodum adhibuisse sufficit. Nam si humori abundanti, & in articulo stagnanti, locus erumpendi datus non esset, in Anchylosin morbum curata sane difficillimum, si praesertim iam inueteratus est, omnino abiret, vt recte coniecit. Liquor ille initio mucilaginosus, breui tempore spisescescit, mox glutinosam consistentiam refert, paulo post in cartilaginem coagulatur, deinde callosam duritiem adquirit, demum in osseam substantiam mutatur. Quod citius adhuc faciliusque fieri solet, complicata cum luxatione ossium fractura. Nos olim manum subluxatam, quo vlnae connectitur loco, Chirurgastri opilionis nempe peruerso consilio, peruerse curatam contrectasse recordamur, quae Anchylosi

deinceps superuenta plane immobilis reddita est, ita vt cum brachii anterioris ossibus continuum corpus efficeret. Membra immota, & in eodem situ diu retenta, praesertim in subiectis iunioribus, facillime Anchyloses contrahere constat. Quale quid, praeter quotidianam eamque satis dolendam experientiam, librorum hodoeporicorum scriptores, de Indorum orientalium poenitentibus, & nescimus quam sanctimoniam adfectantibus, quos *Fackirs* vocant, testantur. Conf. HAPPELII *Relation. Curiosf. Tom. I.* Hi stolidi, quo corpus suum, in honorem DEI vt putant, variis adflictionibus, poenis, & tormentis excrucient, mirum interdum artuum externorum situm adfectant, eandemque tamdiu seruant, donec totum corpus per Anchylosin, lapidis ad instar, inflexile redditur. Christianum eiusmodi Fackirum, SIMONEM quendam, in prima Ecclesia admodum celebrem, *Stylitae* cognomine satis notum, inde sic dictum, quod quadraginta octo annis, in quinque columnis diuersae altitudinis, & postremo tempore per aliquot annos, vno tantum pede innixus, stetit, *Vitae Patrum* miro elogio nobis referunt. Sed haec in parenthesi. Fluunt autem ex praesenti obseruatione haec consectaria. I. Tumores spontanei circa articulos

culos orti, neque inflammatione, neque febre ſtipati, humori articulari maxime originem debent. II. Tumores eiusmodi articulares non facile in abſceſſus mutantur. III. Pus, quod etiam in abſceſſum mutati fundunt, non ſtagnanti Lymphae articulari, ſed ſanguini in muſculorum tubulis infarcto adſcribendum. IV. Humor articularis excedente copia ſecretus, nec membri motu, aut alio modo iterum conſumtus, putredinem non contrahit, ſed in perfectum Os ſucceſſu temporis abit. V. Curatio igitur in eiusmodi Tumoribus non differenda, cunctando enim res non reſtituitur, ſed prudenti feſtinatione hic opus eſt. VI. Balſamica & leniter adſtringentia, poſt inciſionem factam, non ſtatim ab initio, ſed tunc demum vſurpanda, quando Synouia adparet, id eſt humor articularis, tenuis, lympidus. COLLECTORES.

B. Excreſcentia Genu dextri doloribus atrociſſimis ſtipata.

FEmina triginta annorum excreſcentia quadam, ſine cauſa manifeſta orta, & patellam dextri genu occupante, atrociſſimos dolores, flexo praeſertim genu, excitante, per aliquot temporis ſpatium vexabatur. Quae quum ad nucis iuglandis

magnitudinem iam peruenta esset, aegraque se tolerando dolori in posterum imparem iudicaret, meum efflagitauit auxilium. Facta prius inquisitione diligenti, vtrum ratione menstruorum anomaliae adessent, aut patiens se grauidam sciret, quia in matrimonio vixit, necessum enim est, vt hac in parte nudam veritatem confiteantur operationis cuiusdam Chirurgicae candidatae, atque accepta responsione, menstrua sibi raro ordinario tempore adparere, nullamque esse grauiditatis suspicionem, absque ambagibus me ad operationem ipsam accinxi. Scalpello aperta cute, ipsam excrescentiam Scirrhi ad instar duriusculam, conuenientibus encheirisibus excidi, & Venaesectionem absoluta operatione administraui. Vulnus per priores quatuor dies restabat siccum, pes totus intumuit, labia vulneris leuiori intumescentia & inflammatione obsidebantur, quae omnia me fortassis inter secandum laesisse periostium, quod immediate subiectum erat excrescentiae, indicare primum videbantur. Ea igitur, qua par erat, circumspectione vulnus perquiro, sed me nullum commisisse in operatione errorem deprehendo, quare iterum suspicio de patientis grauiditate in animum venerat. Intumescentiae obviam iui quidem *Spiritu vini camphorato largi-*

largiter crocrato, sed absque notabili effectu, tumor & vulneris status iidem erant vt antea. Quinta deinde dies testabatur, suspicionem meam fuisse iustam, abortum enim admodum facilem fecit. Hoc facto tota mutata est scena, vulnus aliam induit faciem, largiter videlicet suppurauit, inflammatio incipiens cessauit, pes detumuit, omnia subito in melius mutabantur, ita vt post aliquot dies *remedia balsamica*, sanationem facilitantia, adhibere, &, quum vulnus satis profundum esset, *puluerem* quendam *Sarcoticum* ex *Gummatibus* paratum, inspergere potuissem. Cicatrix deinde *Emplastro Gryseo* inducta, & cura, trium septimanarum spatio, feliciter absoluta est.

SCHOLION.

Ipsa excrescentia, non eandem, quam vulneris status post sectionem, meretur considerationem. Diligentiores practici saepius obseruarunt, vulnera, offium fracturae, & aliae eiusmodi laesiones in gravidis aut nunquam, aut oppido difficulter sanari. Ratio in promptu est, laudabiles enim humores, naturale illud Balsamum, maximam partem ad vterum, pro foetu nutriendo determinantur, & deinceps in loco adfecto deficiunt. Natura, internus ille corporis humani medicus, operi longe nobiliori intenta, & adstricta, munus duplex ab-

absoluere nequit, nisi vnum aut plane deserere, aut vtrumque male administrare velit. Namque

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Hoc ergo sibi dictum velint Chirurgi, vt omnes operationes, imo dentis etiam euulsionem, quae modo procrastinationem patiantur, in grauidis post partum differant, foeminasque, quas ferro aut igni subiicere cupiunt, diligenter examinent vtrum vtero gerant? Habeant deinceps mulierculae sibi, si abortui ansam dent & occasionem, & conscientiae maculam inurant. Abortus certo certius vulnera paulum profundiora & magna, aliasque laesiones grauiores huius generis, sequitur. Praeter laesionem enim animi pathemata, vti terror in casibus ex improuiso adficientibus, & pauor metusque in operationibus destinato consilio susceptis, in subiectis praesertim tenerioribus & sensibilioribus, haud parum ad promouendum abortum faciunt, quare hac etiam in parte cautum esse, & eorum respectu prouidum, Chirurgum serio monemus. Semel tantum hic peccare licet, imo ne id quidem, quum reparatio huius peccati, in hominis alicuius viribus non sita sit. Vita foetus in vtero materno adhuc contenti, qua priuatur, eodem apud summum iudicem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0048
DFG

cem pretio ſupputatur, quo hominis iam nati. Quae elici poſſunt conſectaria, Lectoribus inuenienda relinquimus, quum ſua ſponte ex iam dictis fluant. COLLECTORES.

C. Anchyloſis inueterata quadantenus ſanata.

VIrgo quaedam viginti & quod excurrit annorum, Anchyloſi Brachii dextri laborauit, ita vt malum non ſolum cubiti iuncturam occuparet, ſed & cartilago recens nata, humeri os magna parte obſideret, omnemque fere Brachii motum aboleret. Ligamenta & tendines obrigeſcebant, ipſaque oſſis humeri cum vlna articulatio, tumore fungoſo inferius circumdabatur; Dolores aderant vehementes, lancinantes, noctu praeſertim ingraueſcentes; Haecque fabula per triennium iam ludebatur. Parum licet ſpei ſanationis ſupereſſe videretur, facto non adeo grato prognoſtico, aliquid tamen tentare decreui. Vniuerſalem, quam praeſentem coniiciebam, humorum corruptionem & ſpiſſitudinem, vniuerſali etiam remedio, ſaliuatione videlicet, omni circumſpectione adhibita, emendaui. Partem adfectam *Emplaſtro diachylo cum Gummatibus*, reſoluendi & emolliendi viribus praedito, inuolui, quo poſt aliquot tem-

poris

poris ſpatium tumor fungoſus quidem ſubſidebat. Quia vero id mihi lente nimis procedere videbatur, *fomenta* ex *diſcutientibus* & *reſoluentibus* parata, *vnguentum nervinum*, *ſpiritu Vini camphorato* mixtum, adhibui, brachioque demum his illinito *emplaſtrum* aliquod *mercuriale* impoſui, ſimulque cutem, trium vel quatuor dierum interuallo ſcarificaui, & partes ſcarificatas ſpiritu vini camphorato adfricui. Quum huic medendi methodo per quasdam ſeptimanas inſiſterem, cartilago in oſſe humeri maximam partem, praeter anchyloſin articulationis, euanuit, ligamenta atque tendines mobiliores reddebantur, omnisque dolor antea admodum moleſtus ceſſauit. Pondera ſatis grauia, indies per aliquot horarum ſpatium, aegram portare, Brachiumque ſaepius hinc & inde mouere iuſſi, quibus effectum eſt, vt illud de die in diem liberius extendi flectique potuerit, licet circa iuncturam Anchyloſeos reliquiae reſtitarint, ad perfectam horizontalem lineam membri extenſionem impedientes. Interim quum aegra labores antea conſuetos, non admodum difficiles, iterum absque moleſtia peragere inciperet, de ope in tam graui tamque inueterato malo lata, ſatis contenta dimiſſa eſt.

SCHO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0050
DFG

SCHOLION.

Plurimi, iique non infimi ſubſellii Chirurgi Anchyloſis tractationem praetermiſerunt, aut tribus tantum verbis, quaſi in tranſitu, mentionem eius fecerunt, vt illis, qui eorum ſcripta manibus terunt diligentius, ſatis notum eſt. Rarius quidem ſua ſponte oritur, ſed vt plurimum aut luxationi, aut oſſium fracturae non procul a iuncturis factae, ſuperuenit. Vnde ortum duxit in praeſenti caſu expreſſis verbis notatum non eſt, quare ambigui haeremus, cui cauſam mali adſcribamus. PAREVS *Lib. XV. Chirurg. cap. XXXIII. pag. 508.* (Edit. German. Frfti ad Moen. 1635. fol.) Nulli articulo magis familiares eſſe Anchyloſes notat, quam cubiti oſſium iuncturae. So wächſt, inquit, um die Beine des Elnbogens ehe / denn ſonſt in irgend einem andern Gleyche / es ſey gleich derſelbige nach der Verrenckung uneingerichtet verblieben, oder zurecht gebracht worden, eine Schwüle. Ipſam Anchyloſeos adcuratam definitionem eodem loco profert ſequentibus. Es iſt aber dieſe Kranckheit *Anchyloſis* anderſt nichts, denn eine unnatürliche Zuſammenwachſung und Vereinbahrung etlicher unterſchiedlichen Beine, ſo in einem Gleych (Gelencke) beyſammen wohnen, durch welche nachmahls die Aus- und Einbiegung

biegung deſſelbigen Gleychs verhindert und aufgehoben wird. Interim tamen & illud notandum, quod Lexicorum autores, ſub Anchyloſis voce, vt plurimum Oculorum quendam adfectum, Anchyloblepharum alias vocatum, deſcribant, articularis autem morbi, cuius hic ſpecimen exhibuimus, obliuiſcantur. Interim Anchyloſin ſurarum raram & inauditam deſcribit BINNINGERVS *Centur. V. Obſ. LXX.* & alia circa genu curata in *Actis Eruditor. Lipſienſ. Anno 1692. Menſ. Ianuar. pag. 8.* deſcripta legitur. Ratione curae ſaltem addimus Excell. HEISTERI *Part. III. Chirurg. Cap. VI. §. 3. pag. 876.* cautelam, qua Vini aliosque roborantes & exſiccantes ſpiritus diſuadet. Attamen remedium tale ſpirituoſum, aliis videlicet conuenientibus non neglectis, ſimul in vſum cum fructu vocatum fuiſſe, praeſens experientia teſtatur. Suaſores autoresque eſſe nemini volumus, vt ſoli ſpirituoſorum, vi coagulandi praeditorum, abuſui inſiſtat. Adhibenda tantum ſunt, fine fibras roborandi, & nouum humoris adfluxum auertendi, quo reſpectu etiam prudentem & circumſpectum ſalis volatilis oleoſi Syluiani vſum, tanquam inſignis diſcutientis & reſoluentis remedii, merito commendamus. Ipſa ſaliuatio mercurio excitata, qua curationis initium fecit Chirurgus, ſua laude defraudari nequit,

nequit, licet absolutam & postremam eius necessitatem hoc in casu non perspiciamus, nisi forte aliquid inquinamenti venerei subtus, prout anguis in herba latuisse, credamus, quam suspicionem dolor artuum noctu ingraueſcens excitare videtur. Certi interea quiddam definire non possumus, nec volumus, quia relatio, quoad morbos praegressos, & causam mali, admodum insufficiens & ieiuna est. Medendi methodum talem fuisse sufficit, qualem, caeteris paribus, quilibet tuto imitari potest. Conlectariis eliciendis eo lubentius supersedemus, quo facilius sua sponte fluunt. COLLECTORES.

OBSERVATIO VI.

Trias Casuum Clinicorum.

A. Aphonia ex haemorrhagia narium non succedente.

PVer nouennis, textoris filius, habitu corporis non admodum procero, macro, vasis amplis sanguine multo, spisso praeditus, vitae sedentariae parentum iussu deditus, (**muſte fleißig beym Spuhlrade ſitzen**) narium haemorrhagias numquam expertus, sed earum loco, ad octauum vsque aetatis annum crusta lactea, vel ipsa

fere tinea vexatus est. Posterior adfectus demum siue sponte sua retrocedens, siue quod magis probabile videbatur, peruersis anilibus consiliis incongrue retropulsus, perpetuo mox subsequenti, & inter se quasi reciprocanti, capitis & dentium molesto dolori, ianuam aperuit, quem subinde mox tinnitus & susurrus aurium, mox hypochondriorum inflatio, tensioque, mox pectoris angustia & spirandi difficultas exceperunt, ita vt ab eo tempore de valetudine admodum sinistra continuo conquestus sit, & parentes hecticam, & corpusculo parum viribus praedito, lentam imminere mortem metuerint. Mense Octobri 1733. circa vigesimum diem, Odontalgia & Cephalalgia satis vehementi, praegresso videlicet inconsueto corporis motu, cursitando & cum commilitonibus ludendo, aëre admodum frigido & acuto, instituto, se conflictari iterum pronunciat, quas malae dextrae intumescentia post triduum excepit. Tumori, quem parentes pro congestione quadam habent (recte quidem, sed non secundum vulgarem sensum, qui praeiudicio non caret) **Sie halten es vor einen Fluß oder Gesichte**, fumo quodam occurritur, sed adeo funesto effectu, qui ab eiusmodi repellentibus aliter etiam expectari non potest, vt post viginti quatuor horas, tota

tota facies mirum in modum intumuerit, respiratio facta sit difficilior, imo laboriosissima, oculi & malae rubeant, nares sint sicciſſimae, & puer omnis loquelae vsum amitteret. **Er konte kein Wort ſprechen, ſondern bloß mit groſſer Mühe einen heiſern, unverſtändlichen Laut von ſich geben.** Nos aduocati symptomata vix recensita, insuperque pulsum satis aequalem, quodammodo concitatum, nec, prout subiecti morbique tamen ratio exigere videbatur, iusto fortiorem. Quum malum nihil aliud esse iudicaremus, quam motus naturae congestorios pertinaciores, narium haemorrhagiam intendentes, propter dispositionem subiecti vero huic excretioni non adsueti, irritos, *anteorgasticis nitrosis*, *temperantibus*, & sedata paululum sanguinis enormiori expansione, leniter *resoluentibus*, blandae diapnoi occasionem dantibus, malum adgredi tentauimus. Pro colli defensione, ne scilicet interno tumore plane clauderetur, & respirationem satis iam difficilem, adhuc laboriosiorem redderet, sed metuendae strangulationi obex poneretur, *Essentiam Pimpinellae albae, ad viii.* vel *x. gutt.* sine vehiculo ori infundere iussimus. Quibus intra nycthimeron effectum est, vt aeger iterum libere loqueretur, & satis bene se haberet, nec motus febriles

continui, quos ante foras credimus, sequerentur. Coepta medendi methodus continuabatur, quia dextrae malae tumor adhuc in eodem statu remansit, & duriusculus erat. Ratione morbi decursus pronunciauimus, nos quarta aut septima die largis sudoribus morbum iri solutum, aut tumorem malae in absessum abiturum, certo credere. Sudores etiam die tertia satis placidi, neque patientem defagitantes, erumpere incipiebant, & sub remediorum temperantium, & diapnoico-resoluentium continuato vsu, per vnum vel alterum diem moderate, & cum insigni leuamine aegroti procedunt. Tumor post septimum diem inflammatur, adhibitis per Chirurgum emollientibus, in absessum pus copiosum probe coctum fundentem mutatur, & conuenientibus remediis demum iterum clauditur. Sic puerum per aliquot septimanas vtriusque Iatrices auxilium expertum, bono cum DEO ita restituimus, vt a malis omnibus hactenus sibi molestis, postea immunis vixerit & perfectam durabilemque sanitatem, de qua cuncti fere desperabant, recuperauerit.

SCHOLION.

Quam amplum sit haemorrhagiarum spontanearum Naturae autocratia & destinato consilio excitatarum negotium, quamque

que magnam & adtentam mereatur consi-derationem, diligentioribus Practicis, & iis praesertim, qui ministros Naturae, non magistros se venditant, satis superque notum est. Quot etiam ex haemorrhagiis eiusmodi non rite succedentibus, sive id subiecti, sive peruersae medendi methodi culpa fiat, mala propullulent, vbique occurrit, & praesens casus abunde testatur. Symptoma interim admiratu omnium maxime dignum, Aphonia esse videtur, cuius probabilem rationem credimus, sanguinis expansi copiam insignem, sputum forte cruentum molientem, venas raninas, aliaque laryngis & pharyngis vascula infarcientem, & per consequens neruos tam paris vagi quam lingualis comprimentem. Vaenesectio, quae nobis mox ab initio in mentem venerat, non obstante patientis pueritia, laudabile fuisset praesidium, quod sine metu, praesertim in raninis venis, adplicari potuisset, nisi partim placida naturae conamina, omnia ordine & decenter agentis, partim ea ratio nos retinuisset, quod puerum artificiali haemorrhagiae, in tam tenera aetate adsuescere noluerimus. Si autem inflammationis cuiusdam anginodis signa adparuissent, non tantum e vestigio raninas, depletorio scopo, sed etiam aliam venam paulo post secare, commodo loco

deriuandi fine iuſſiſſemus. Quum vero motus naturae reſolutorios obſeruaremus, eam conſulto intermiſimus. Abſceſſum, qui denique ſubſequutus eſt, emanſiſſe forte credimus, niſi fumo incongrue adplicato, propter particulas oleoſas empyreumaticas & ſalinas, externum cutis habitum, & in eundem ſeſe terminantes tam numerabilium vaſculorum excretoriorum penicillos conſtringente, & ideo vi repellente praedito, morbi ſchema primum turbaſſent, aniculae conſulentes moleſte officioſae. Non vnum nobis innotuit experimentum, ſed numero longe plura, quibus noxios fumi in partium intumeſcentia admiſſi effectus, obſeruare nobis licuit. Specimen ſatis illuſtre in ſequentibus adnectere mox volumus. Conſectaria demum ex praeſenti caſu fluentia haec ſunt: I. Vehementiores motus ſanguinem in orgaſmum praecipitantes, in iuuenili aetate, aëre praeſertim frigido tranſpirationem impediente, cane peius & angue vitandi ſunt; II. Sanguis in iuuenibus orgaſtice commotus, & per haemorrhagiam non imminutus, facile motibus febrilibus occaſionem praebet; III. Si motus eiusmodi febriles, placide decurrant, neque inflammatorii ſint, morbum eiusmodi congeſtorium intra ſeptendium ſoluunt; IV. Si congeſtiones

ſan-

ſanguineae verſus nobiliorem partem directae, inflammationem minitentur, Venae ſectio, inqualibet aetate, adminiſtretur (*) imo etiam ſi res exigere videtur, repetatur; V. Partium tumidarum, praeſertim a congeſtione actiua ortarum, fumigatio nunquam adhibenda; VI. Materia per congeſtionem partibus ſemel impacta, diſcutientibus, non vero repellentibus tentanda; VII. Diu tamen huic methodo non inſiſtendum eſt, quia aut morbus protrahitur, atque dolorum moleſtia fit longior, aut ſi etiam demum in abſceſſum abeat, difficilius in pus mutatur materia ſtagnans, abſceſſus fiunt profundiores, multas partes ſolidas depaſcentes, ſuppuratio diutius durat, & ſanatio admodum lente procedit; VIII. Quae igitur ſtaſis iam e longinquo abſceſſum minatur, praeſertim quum partes occupet non adeo nobiles, ea quanto-

(*) Venaeſectionem in iuuenili & infantili aetate, Vulgus Sileſiorum admodum reformidat, & Medicum eam ordinantem tantum non pro homicida venditat; Si vero raninarum ſectionem ſuadet, quod *ranulae ſectionem*, das Fröſchelſchneiden, vocant, nemo obloquitur aut vultum mutat, ſed pueros faſciis adhuc inuolutos confeſtim ad Chirurgum portant, operationemque libenter admittunt. Adeo ridiculum eſt praeiudicium, vt nomen Phlebotomiae, das Aderlaſſen, non rem ipſam expaueſcant.

cyus, commodis remediis in hunc finem, promouenda est; IX. Abscessus a congestionibus actiuis orti, multum pus fundentes, crisеos cuiusdam naturam quasi habent, quia varia antecedentia mala, haemorrhagiis ipontaneis non succedentibus originem debentia soluunt, & valetudinem dextram firmamque efficiunt; X. Requirunt igitur eiusmodi abscessus medicum prudentem, naturae intentioni non contrarium, qui eos ex praeconcepta opinione non impedit antequam fiant, sed legitime promouet, quum sint in fieri; XI. Probe deinceps in eiusmodi abscessibus etiam consideret Medicus aut Chirurgus, vt sufficientem puris copiam effundant, sitque probe memor axiomatis satis quidem noti, sed oppido raro, quod vehementer dolendum est, obseruati: *Nullum paucum esse criticum.* Aliter enim neque natura, neque medicus, fine intento, qui est futura subiecti sanitas, potientur ex voto.

B. Fumus, ex pastillis Tyrolensibus labio tumido admissus, admodum nociuus.

PVer septenarius rusticus, sanus alias & vegetus, nec de notabilioribus malis antea conquestus, tempore verno humido, labii

labii superioris tumore molli, nullo rubore, nulloque dolore stipato, laborare incipit. Quum tumor ille, praeter leuem molestiam nihil aliud mali creans, post aliquot dies iterum euanescere non vult, de pueri valetudine sollicita mater, morbo mederi tentat, quem ex vulgari & omnium animis alte infixo praeiudico, pro congestione quadam, **vor einen Fluß**, habet. Conuenientissimum malo remedium iudicatur *Fumus pastillorum Tyrolensium*, qui germanice **Tyroler Fluß-Rauch** inde vocantur, (*) Eo consilio vix in actum deducto, & fumo aliquoties in labium tumidum admisso, puer quasi attonitus in terram concidit, & e vestigio delirare incipit. Labium detumescit, sed ea proportione qua tumor euanescit, mens pueri magis magisque turbatur, insanaque euadit, malumque indies augetur, adeo vt perfectum repraesentaret maniacum. Febris interim aderat nulla, adpetitus deiectio nulla, nullum concoctionis prauae signum, nullae secretionum & excretionum turbae, sanus erat licet

(*) Constant, vt omnibus notum est, hi pastilli fumales, ex Olibano Sylueſtri, vel potius, ex resina pini, abietis, taedae, a formicis maioribus **Roß-Ameisen** dictis, in aceruis suis congesta & collecta, & floribus cheiri, rosarum, amaranthi lutei, Cyani & eiusmodi aliis externe adglutinatis.

mente motus. Hic deplorandus omnino pueri ſtatus, per aliquot ſeptimanas, imo vero ad tres propemodum menſes durauit, variis remediis domeſticis in caſſum adhibitis, donec iterum ſimul ſemelque febre continua, intercurrentibus vomitibus materiae multae viſcidae, mucidaeque, vno verbo Variolarum tunc epidemiae graſſantium, multosque eius pagi pueros infeſtantium prodromis, tentaretur. His copioſiſſime eruptis, & in ſuppurationem tranſientibus, mens, eiusque legitimus vſus, ſucceſſiue rediit, ita vt poſt morbi decurſum, & corpore & animo, magno parentum gaudio, ſanus iterum factus ſit, nullumque maniaci delirii veſtigium vel remanſerit, vel in poſterum reuerteretur.

SCHOLION.

Repellentium, quae non aliter niſi externarum partium fibras ſtringendo, criſpando, & comprimendo agunt, eoque fortius, inſecurius, & periculoſius operantur, quo particulis gaudent extremis neruorum papillulis, vaſculisque capillaribus firmiter inhaerentibus, *damna*, indies adnotarunt prudentiores medici. Dolendum vero eſt, quod tam copioſae, & funeſtae obſeruationes neque iatrices profeſſoribus, neque vulgo praeiudiciis obcoecato, eorum vſum vel potius quotidianum abuſum, diſſuadere, ex-

exoſumque reddere huc vsque potuerint. Sed

Iliacos inter muros peccatur, & extra,

Plebs & medici eadem aberrant chorda, pariaque committunt vitia. Longiores eſſe nolumus, licet ſe nobis aperiat amplisſimus longe lateque diſſerendi campus. Pauca modo ad praeſentem obſeruationem dicere lubet. Conceptu ſane difficilis eſt, tam praeſentaneus fumi repellentis effectus, niſi neruorum in vtroque labio papillas, acutiſſime ſentientes, copioſe diſſeminatas, denſa cute carentes, tenui modo inuolucro tectas, parum a meningibus remotas, per fumi, particulis acribus, oleoſoempyreumaticis, volatilibus, imo etiam acidis, neruis oppido inimicis ſtipati, qualitatem criſpatas, preſſas, & ſubitaneam liquoris ſubtiliſſimi in eis contenti alterationem, eiusque craſeos & temperiei miram mutationem, adcuſare velimus. Iter deinde ab his papillis, tam inſigni modo ratione toni ſui, vique ſyſtaltica, & liquoris eas rigentis conditione alteratis, non adeo longum eſt verſus cerebrum & meninges, mentis officinam & habitaculum, vnde turbati animi cauſa. Interim tamen & illud credendum eſt, ipſam maniae materialem cauſam, aut in nerueis papillis diu haeſitaſſe, aut, ſi etiam reliquae humorum

maſſae

massae communicata sit, iterum ad totius corporis externum habitum & circumferentiam, naturae beneficio propulsam fuisse, donec iterum variolis superuentibus tota eliminata fuerit, & neruis antiquus tonus & constitutio redierint. Retulit etiam nobis mater, nisi non omnis nos fallat memoria, vtrumque labium, praesertim superius, ante variolarum eruptionem mirum in modum intumuisse, & plurimis, prae omnibus reliquis partibus, variolis obsessum fuisse, quod etiam nosmetipsi ex oculari inspectione testari possumus. Quae variolae deinde profundos, diuturnos, mali moris & difficiles curatu, abscessus post se reliquerunt, vnde probabiliter concludimus, variolas morbum fuisse superuenientem, nullamque cum praegresso tumore, vt quibusdam videbatur, connexionem habentem, materialem maniae causam, siue ex tumore retropulso, siue ex fumi particulis, quod magis vero simile nos existimamus, in neruorum papillis haesisse impactam, eamque deinde beneficio variolarum ex corpore eliminatam, & sic diabolum per Baalsebub expulsum fuisse. Sit interim fiendi modus qualis sit, licet nos probabiliorem, & experimentis anatomicis conuenientiorem vix excogitari posse credamus, sufficit quod remedii repellentis

funeſtiſſimos euentus ad oculum demonſtrauerimus. In poſterum medici alienis periculis diſcant, & diſcutientium, quae incidendo, reſoluendo, tonum fibrarum blande roborando, actionem ſuam abſolvunt, atque repellentium diſcrimen probe obſeruent, ne vno pro altero vſurpato, famae ſuae, arti, ac propriae conſcientiae, maculam raro iterum delendam inurant. Bis peccare non licet, quum ſemel peccaſſe iam opprobrium ſit. Notentur adhuc ſequentia conſectaria: I. Fumigatio, quum omnis fumus vi repellente, neruisque inimicis particulis, praeditus ſit, raro, vel nunquam, aut multa circumſpectione in vſum trahenda; II. Repulſio per fumigationem eo periculoſior eſt in loco, quo neruorum papillae copioſiores occurrunt, & quo ſubtiliori velamento tectae ſunt. III. Partes fumi oleoſo-acres, empyreumaticae, facillime tunicas praeſertim ſubtiliores penetrantes, neruorum extremitatibus exquiſitiſſimo ſenſu praeditis, propter vnctuoſam ſaponaceam naturam, vt videtur, diu haerent impactae; IV. Quamdiu inſaniae materialis cauſa, in ſolidis, praeſertim neruoſis partibus nidulatur, tamdiu reſtitutio mali ſperari nequit, ſublata demum cauſa, tollitur effectus; V. Suppuratio ſecuriſſimum videtur medium, materiam

riam quandam peregrinam, noxiam in neruorum papillis impactam exterminandi; VI. Procedit tamen eiusmodi suppuratio lente, penetrat profunde, & difficulter curatur; VII. Sanatur interdum morbus curatu alias difficillimus, nouo morbo superueniente; VIII. Hac in parte febres, siue intermittentes, siue continuae sint, multum valent, vt optandum esset, febrium excitationem in artis medicae potestate sitam esse; IX. Verum igitur est, firmoque nititur talo medicum axioma: *Naturam optime scire corpori suo mederi.*

C. Febris acuta benigna insigni totius corporis tumore stipata, seu rarum Emphysema.

MVlier triginta & quod excurrit annorum, largiori alias mensum fluxui adsueta, vehementioribus animi pathematibus, irae praesertim indulgens, corpore procero, dura carne, habitu stricto, vasis amplis praedita, per biennium fere puerum lactauit, & toto hoc temporis spatio sana vixit. Ablactato ante duo vel tres menses puero, menses quidem ordinaria periodo recurrebant, ast admodum parca quantitate. Autumni anno 1733, initio, qui in eo quo vixit climate, ad radices scilicet montium Sude-

Sudetorum, vltra morem ſiccus & frigidus erat, de doloribus laterum dorſique tenſivis, anguſtia pectoris, artuum laſſitudine, reſpiratione difficili, ſymptomatibus ſine dubio menſium parcitati originem debentibus, diu multumque conqueritur. Proprio igitur conſilio circa initium Octobris venam ſibi ſecare curauit, quae operatio in ſe omnino neceſſaria, ſatis incongrue, ſuadente tonſore naſutulo, in brachio adminiſtratur. Vix ligata fuit vena, quum praecipiti curſu ſymptomata enarrata in peius ruant, & augmenta capiant, ſimulque inſignis horror, inſequente aeſtu vehementi, ſuperueniat. Puluis ipſi porrigitur marchionum, qui ad manus erat, in lectulum ſe recipere accepto remedio, blandumque expectare ſudorem iubetur quidem, ſed immorigera renuit, ſeque libero aeri frigido inconſulto exponit. Quo facto, vno impetu omnium virium proſtrationem, ſubſequente graui Lypothimia, experitur, quam e veſtigio totius corporis, praeſertim artuum externorum, brachiorum nempe pedumue, atque faciei, intumeſcentia, eaque enormiſſima excipit, non aliter ac ſi totus habitus cutis flatu eſſet diſtentus. Als ob man ſie unter der ganzen Haut aufgeblaſen hätte, wie etwa bey uns die Fleiſcher mit den geſchlachteten Käl-

Kälbern, das Fleisch scheinbarer zu machen, zu thun pflegen oder wie die muthwilligen Knaben die Frösche, adplicato per ani orificium tubulo stramineo, zu einer ganz erstaunenden Grösse, aufzublasen wissen. Lectulo importatum corpus quum paululum incaleſceret, tumor aliquantulum subsedit. Nos deinde in consilium vocati, motus febriles primum satis vehementes, ita vt aegra versus noctem leuiter delirare, postea satis placidos obseruantes, naturae moliminibus auxiliatrices praebuimus manus, per pulueres diaphoresin blandam excitantes, (a) mixturamque diapnoico resoluentem, (b) quibus substituimus potum multum tepidum ex infuso herbae Theae, & decocto auenaceo, simulque regimen adcuratum, non anxium, non calidum, neque positiue sudoriferum, sed temperatum, & quietum praecepimus. Quibus effectum est vt die tertia largissimi orirentur sudores, & febrem & tumorem insigniter mode-

(a) Compositi fuerunt ex *Nitri depur. drach. vna. Tartar. Vitriolat. Scrupul. duob. Antimon. diaphoret, & Regul. Antimon. Medicinal. Succin. flau. ppt. anat portion. drachm. semiss. Camphor. gran. quindecim* quo dos. gr. Viginti quinque dabantur, bis de die.

(b) Rec. *Spirit. Nitr. dulc. drachm. duas, Mixtur. Simpl. & Essent. Pimpinel. alb. anat. drachm. vnam.* M. dabantur singulis trihoriis ad viginti guttas, cum multo vehiculo.

moderantes. Mador eiusmodi fere continuus per aliquot adhuc dies continuauit. Post octiduum aegra lectum quidem reliquit, sed vires satis tarde reuertebantur, vna vel altera septima requirebatur, antequam in solidum esset restituta. Notari adhuc meretur, quod durante septendio, quo lectulo adfixa haerebat, saepius recrudescerent lipothymiae, moto praesertim & in situm paululum erectum eleuato corpore, deinde, si stragulis non adcurate esset tecta, imo vnum vel alterum membrum, etiam post sudores, vbi notabiliter tumor imminuebatur, tantum denudaret, liberoque aeri absque integumentis exponeret, **wenn sie nur eine Hand oder Fuß unter der Bettdecke hervor streckete**, id iterum mirum in modum, breui temporis momento, intumescere inceperit. Vrina durante intumescentia, clara, & limpida erat, ad instar aquae fontanae, pauca, sudoribus autem circa tertiam diem instantibus, magis tincta, post eorum eruptionem, crassa, turbida, multa, cum sedimento limoso, nunquam vero rubicanda aut flammea.

SCHOLION.

Ἐμφυσήματα ipsi HIPPOCRATI non ignota fuisse, ex variis scriptorum suorum locis adparet, conf. FOESII *Oecon. Hipp. pag. m. 206. hac voce*, licet eundem conceptum

vix sibi de eo morbo finxisse videatur, quem postea GALENVS *Lib. XIV. Meth. Med. cap. VII. §. 1. pag. m. 362.* ex *edit. CASP. HOFFMANNI*, posteritati tradidit. *Hae inflationes fiunt*, inquit PERGAMENVS noster, *cum coaceruatur spiritus flatuosus, quandoque sub cute, quandoque sub periosteis, aut etiam iis membranis, quae musculos ambiunt, viscusue aliquod.* Quibus verbis omnium optime huius mali sedes depingitur, quae non est alia quam tunica illa, a veteribus panniculus adiposus, a recentioribus membrana cellulosa, vocata. Exactissimam huius membranae descriptionem nobis exhibet BOERHAAVIVS *in Praefat. ad LVYSINI Aphrodisiac. pag. **. seq.* cuius verba *Lectores* hic excerpta intelligere non grauabuntur. "Huius compages, inquit, "vasculosa subtilissima habetur, fabrica "cellulis minimis, at numerosissimis, omni-"bus per communes vias in se inuicem "patentibus, atque EXIGVA DISTEN-"DENTE VI MIRIFICE DILATANDIS; "hae cellulae in tabe & marasmo exinani-"untur, vt ne vestigium sui relinquant, in "EMPHYSEMATE, AERE INFLATAE "MONSTROSE TVRGENT, in Leuco-"phlegmatia aqua repletae tumescant. "Haec cellulosa membrana omnes inuestit "partes mobiles; quare toti cuti vbique "sup-

ſupponitur, cunctis incumbit muſculis; “
vnde interpoſita cutis interiora inter & “
exteriora muſculorum, facit, vt cutis no- “
bis ſupra quieſcentes muſculos mobilis “
ſit. Atque ea lege hic naſcitur; vt, vbi “
muſculi maxime, plurimumque agentes “
reperiantur, ibi naturaliter craſſiſſima “
haec membrana, & opima magis pingue- “
dine infarcta ſit, vt hinc ad pectus, abdo- “
men, dorſum, lumbos, nates, femora, “
crura, humeros, brachia, tempora, cerui- “
cem videre eſt. In illis autem locis, vbi “
muſculi minimi, minusque agentes, mem- “
brana haec adeo pauco pingui inſtruitur, “
vt ibi adipoſam negent fere omnes, cel- “
luloſam tantum admittat RVYSCHIVS: “
Ita in capite, palpebris, facie, ſcroto, aiunt “
abeſſe; ſed falſo: adeſt quippe, at tanto “
parcior ibi quam ad nates, quantum ele- “
vator palpebrae ſuperioris, vel corruga- “
tor frontis, minor eſt glutaeis. Sed vt “
interpoſita ſuo membrana haec lubricam “
mobilitatem cuti & muſculis ſubſtratis “
conciliat, ita eadem haec propagines ſuas “
ſuperficiei muſculorum vndique circum “
adplicat, muſculos omnes omino vniuerſi “
corporis maiores, minores, inuiſibiles, “
minimos inueſtit, ſeque muſculis inter- “
ponens facit, ne vllus vsquam alium con- “
tingere queat, verum, vt ſuperficies “

"cuiusque musculi sic inuestita aequa lu-
"bricitate maneat mobilis supra alterius
"sic pariter inuestiti musculi superficiem.
"Hinc eandem ob causam a musculo mu-
"sculus ope panniculi adiposi tam sollicite
"distinguitur, quam cutis a subiectis mu-
"sculis. Nec musculos modo ita, sed ten-
"dines horum ambiens vaginas illas lubri-
"cas, mobiles circumdat intra quas trahi,
"retrahi facillime absque remora, moueri
"queant. Inde & tendinum ope & capitum
"musculorum ad periostei exteriora dedu-
"ctus adiposus idem ille, qui subcutaneus
"fuerat, paniculus, supra periostei exterio-
"ra & ad ossa, & ad iuncturas supra liga-
"menta se expandit, omnia inuoluit, ipsa
"tandem & viscera sub meningibus mem-
"brana thoracis succingente, peritonei ex-
"pansu, se insinuat. Denique propago illa
"huius, quae datur vni musculo, rursum
"insinuat se inter distinctas illas minores
"musculares partes, ex quibus maior com-
"ponitur, in quos arte resoluitur: vt ite-
"rum & singulae hae quoque partes com-
"modissima facilitate, distincto tamen
"motu, inter se moueri queant. Quod
"idem tandem & in harum partium parti-
"bus, vsque ad vltimum singularem villum
"musculosum obtinet. Vt ita pateat in-
"credibilis expansio huius membranae,
"spe-

ſpectetur vſus diffuſiſſimus, cognoſcatur“ commercium nunquam intellectum huius“ effectu inter omnes corporis, vel remo-“ tiſſimas a ſe inuicem, partes.“ His probe intellectis quilibet Emphyſematis a nobis deſcripti rationem perſpicit, nunc tantum ſupereſt vt ſpiritus flatuoſi naturam paucis adhuc ſub examen vocemus. Originem dediſſe malo cohibitam tranſpirationem, ex hiſtoria patet. Haec autem intra corpus incarcerata materia excrementitia, ex particulis elaſticis Sulphureo-Salinis, Temperamento cholerico-ſanguineo admodum familiaribus, facile orgaſmum concipientibus, conflata videbatur, tamdiu ſuam ſcenam ludens, quamdiu intra vaſculorum compagem reſtitauit. Quum deinde tranſpiratio iterum in ordinem reuocaretur, quo ſuum etiam contulit ſymbolum externus color, & adcuratum regimen, materia illa elaſtica apertis porulis partim per cutis habitum exhalauit, partim craſſior eius pars per vrinam excreta eſt. Rarum fuiſſe adfectum vel exinde patet, quod ingens practicorum & obſeruatorum numerus, quos huius gratia conſulebamus, nullam eius mentionem iniecerit. Particularia Emphyſemata, verbi cauſa capitis, faciei brachii, hypochondriorum, ſaepius occurrunt, & ipſe HIPPOCRATES eorum me-

minit, at vniuerſalia totum corpus occupantia rariſſima depredicamus merito. Parallelus nobis adhuc caſus innotuit, non vero in homine, ſed in cane, ex eorum genere, quos mopſulos vocant, qui itidem ab aere frigido iter pedeſtre faciens, corpore alias praeditus admodum obeſo, totus quantus fuit, cauda pedumque digitis, ac palpebris non exceptis, ad nutum oculi mirum in modum ἐμφυσηματικῶς intumuit, hac ſaltim intercedente differentia, quod cutis color, qui antea albus erat, in roſeum verteretur. Per aliquot dies itidem durauit morbus, animalque febricitauit, adpetitu plane deiecto, donec exhibita aliquoties Theriaca Veneta cum Oleo hypericonis, iterum conualuit Mopſulus ille. Conſectaria, quae ſua ſponte ex hoc caſu fluunt ſequentia ſunt; I. Emphyſemata fiunt tempeſtate frigida & humida commoto praeſertim & in orgasmum acto ſanguine; II. Familiaria ſunt temperamento Cholerico-Sanguineo magis, quam phlegmatico; III. Originem debere videntur particulis elaſticis, volatilibus, Salino-Sulphureis intra corporis meatus ſtagnantibus; IV. Si ſuperuenit Emphyſemati febris continua, morbus ſoluitur; V. Moderatus color externus, cutis ſtricturam ab aere frigido cauſatam relaxans, multum ad Emphyſematis

matis ſolutionem facit, quia tranſpirationi auxiliatrices praebet manus; VI. Omne punctum curationis in Emphyſemate per remedia tranſpirationem promouentia abſoluitur; VII. Ea tamen non calida, aut orgaſtica nimiumque ſanguini & reliquis humoribus impulſum excitantia, ſed potius blandis viribus diapnoicis praedita, diluentia, & leniter roborantia ſint, nec blanda diuretica omittenda ſunt; VIII. Sudores per naturae vires autocraticos, materia per febriles motus prius praeparata, Emphyſemati ſuperuenientes, morbum ſoluunt, longeque meliores ſunt, quam qui remediis poſitiue ſudoriferis, & regimine calido anxio proliciuntur; IX. Emphyſema, in corpore variis ſanguinis irregularibus motibus, in infimi ventris vaſorum ſyſtemate nidulantibus, tentato, exoriens, vires vltra modum eneruat, vt ſatis longum tempus requiratur, antequam toti redeant.

OBSERVATIO VII.

Foetus ſuilli monſtroſi Anatome.

TRadebatur nobis ab amico quodam foetus ſuillus monſtroſus, vt eundem cultro anatomico ſubiiceremus. Eius longitudo ſeptem partes decimas ſextas ($\frac{7}{16}$) vlnae Wratislauienſes ab ano ſcilicet ad

nasi apicem aequabat. Abortum non fuisse, sed maturum foetum ex dentium, quos venatores arma vocare solent, magnitudine quae tres vel quatuor lineas excessit, atque ex pedum vngulis praesentibus & satis duris, ex pilis itidem albis cutim vndique vestientibus coniecimus. Caput & collum nihil insoliti monstrarunt, infra humeros vero corpus in duos truncos abiit, quorum dexter spinam dorsi simplicem naturali modo structam, cui ab vtroque latere octo adhaerebant costae legitimae & sex spuriae, duos pedes anteriores & totidem posteriores cum vngulis bisulcis, orificium ani apertum, vuluam, caudamque exhibuit; Sinister dextro tantum pede, duplici metatarso & quatuor vngulis instructo, sinistro in totum deficiente, spina dorsi, pedibus duobus posterioribus consueto more factis, orificio ani, vulua & cauda instructus erat. Vtriusque corporis abdomen sedecim papillis mammariis, quaternatim positis gaudebat. Funiculus vmbicalis erat numero vnus, in binorum corporum commissura originem ducens, qui omnia vasa duplicato numero in se abscondebat. Aperto thorace cor quidem vnicum erat, sed admodum magnum ex fibris muscularibus robustissimis constructum, pulmones e contrario reperti sunt valde parui coloris dilu-

dilute rubicundi, in aquam immissi natantes. Infra diaphragma in abdomine, hepar vnicum in quatuor magnos lobos diuisum, vesicula fellea vnica satis ampla, bile flaua repleta, stomachus vnicus magnae capacitatis, omentum vnicum magis latum quam longum, lienes duo quorum quilibet iterum erat duplicatus, (*) in vtroque latere pendentes, occurrebant. Canalis intestinorum simplici quidem initio ex ventriculo egressus, mox duplex factus est, prout reliqua infimi ventris viscera. Duplex enim abdomen duplicata habebat intestina, duas nempe vesicas vrinarias, duo paria renum, quorum par dextri abdominis consuetam fabae figuram, par vero sinistri nodosam faciem exhibuit, qualis renum vitulinorum esse solet, vreteres tamen ex vtroque pari in vesicam suam ingressos, duos vteros, quorum cornu alterum, illud scilicet, quod latus externum respexit, duplo longius erat altero latus internum premente. Bini vteri ope ligamenti, quod alas vespertilionum dicunt, inter se connexi erant, ita vt ligamentum illud, vtrique

(*) Idem viscus haud raro in suibus reperitur duplicatum, & quasi ex duobus lienibus sibi inuicem connexis complicatum, cuius rei specimen suo tempore Lectoribus exhibebimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0077
DFG

vtero commune, forma gauderet semilunari vel sigmoidea, & ab vno in alterum abdomen extenderetur. Ouaria quatuor, inter quae duo interiora sibique vicina, ad cornua breuiora, admodum parua erant. Pancreas simplex occurrebat, in abdomine dextro reperiundum. Flatu in ventriculum immisso, intestina solum in dextri trunci abdomine occurrentia distendebantur. Nam in sinistri trunci infimo ventre parua tantum erat intestinorum quantitas, quae aliquoties ab vno in alterum latus discurrentia, (**wendeten sich nur etlichemahl Sick-sack von einer Seite gegen die andre**) sine vllo mensenterio, ope solummodo quorundam exilium venularum, inter se connexa, vix tertiam partem reliqua intestina longitudine aequantia, vno verbo nil aliud erant, quam processus vel appendix canalis intestinorum dextri abdominis, ex quibus non procul ab intestino coeco ortum ducebant, postea in sinistrum abdomen canali transuersaliter posito abibant, formato deinde iterum intestino coeco licet paruo, per intestinum rectum, prout in dextro abdomine, vbi iustam longitudinem, tenuitatem, & crassitiem sortita sunt, in ani orificium terminabantur. Truncus arteriae descendens, ex sinistro cordis ventriculo originem ducens, iam in pectoris caui-

cauitate in duos magnos truncos diuisus, quorum quilibet iterum e regione ossis sacri in duos conspicuos ramos vt solet abibat, in loco diuisionis vtrinque tertium ramum emittens, qui funiculum vmbilicalem ingrediebatur. In quolibet porro abdomine aderat Truncus venae cauae adscendens, qui duplex canalis, absque vnione, sanguinem in ampliſſimam dextram cordis auriculam reuehebat.

SCHOLION.

Figuram non addimus, quum apud PAREVM *Lib. XXIV. Chirurg. cap. II. pag. m. 833.* quaedam occurrat, nostro monstro satis similis. Interiora eo diligentius perscrutauimus, quo clarius admirabilis naturae ordo, etiam in condendis monstri partibus pateat. Proportio & sufficiens partium & vasorum ratio, in animali multum a consueto naturali statu recedente vbique elucet. Exemplo verbi causa sit cor magnum, minus enim sanguine propellendo in duplici corpore non sufficisset; Ampliſſimus stomachus, angustus certe, eandem non caperet cibi quantitatem, quae pro chylo elaborando & per consequens nutriendo corpore par fuisset & sic in reliquis. Diuina potentia, etiam per causas secundas sese exerens, vbique in operibus naturae digiti sui potestatem demonstrat

seque

seque mortalibus venerandam praebet. Iouem vbique praesentem veteres gentilium iam crediderunt, & admirati sunt, quid nobis faciendum quos clarior lux illustrat? Coeci sane & quolibet lapide insensibiliores essemus, nisi naturae miracula menti nostrae adfectum imprimerent, qui totus quantus est in laudem creatoris sese effundat. (*)

OBSER-

(*) Loco consectariorum commendamus Lectoribus GEORG. STENGELII Soc. Jes. tractatum: *De Monstris & monstrosis, quam mirabilis bonus & iustus in Mundo administrando sit DEUS.* Ingolstad. 1647. 8vo. Conf. GASP. SCHOTTI *Physic. curios. Lib. V. pag. 727. seq.* & THEODORETI *Lib. V. de haeret. Fabul. cap. IX.* verba: Ἑλλήνων δὲ οἱ σοφοὶ, inquientis, Σωκράτης, καὶ Ἱπποκράτης, καὶ Πλάτων, καὶ Ξενοφῶν, καὶ Ἀριστοτέλης, καὶ Γαληνὸς, καὶ μύριοι ἕτεροι ὑπεραγανται μὲν τὴν τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος, ἁρμονίαν, θαυμάζουσι δὲ ἑκάστου μορίου τὴν χρείαν, καὶ ὁμολογοῦσιν ἡττᾶσθαι τὸν ἐπαινοῦντα λογον τῆς ἐν τῷ δὲ τῷ ζώῳ θεωρουμενης τοῦ τῶν ὅλων ἀριστοτέχνου σοφίας. Quae IOH. ALB. FABRICIVS *in praef. ad DERHAM Astro-Theolog. pag. 49.* ita germanice reddidit: Die weisen Männer unter den Heyden, Socrates, Hippocrates, Plato, Xenophon, Aristoteles, Galenus, und viel tausend andre, haben ihre gröste Lust daran, wenn sie die Übereinstimung aller Theile am menschlichen Leibe betrachten: Sie verwundern sich über den Nutzen, den ein jedes Glied schaffet, und bekennen, daß ihr Lob viel zu gringe ist gegen der

OBSERVATIO VIII.

D. GODOFREDI HENRICI BVRGHARTI, Medici Wratislauienſis.

Mictus albus.

§. I.

VIr quidam annum agens quadrageſimum, habitu corporis ſtricto, macro praeditus, coloris liuidi, vitae laborioſae varia eaque frequentia itinera faciendo deditus, doloribus circa lumbos lancinantibus, & hypochondriorum tenſionibus, inflationibus obnoxius, per tres ſeptimanas continuo ad vrinandum ſtimulo, & inſigni lotii guttatim tantum ſtillantis ardore laborat.

§. II.

Vrina ipſa tam moleſte excreta erat alba, craſſa, & magnam materiae cuiusdam fundum petentis, albiſſimae, ad inſtar puris probe cocti aut lactis vel potius chyli, quantitatem, ad matulae fundum deponens.

§. III.

---

der Weisheit deſſen, der aller Schönheit Meiſter iſt, die ſich an den Menſchen (warlich auch an allen andern Thieren) ſehen läſſet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0081
DFG

§. III.

Sperma non esse, licet id satis bene referebat, neque chylum, neque pus, neque Gonorheam malignam, nota mihi viri pietas, & historia morbi omnibus circumstantiis rite pensitatis, credere prohibuit.

§. IV.

Morbum igitur pro *fluxu haemorrhoidali albo*, (a) a nimia ventularum anguſtia aut structura oriundo, habui, naturamque non in re, sed in *loco* aberrasse, (b) mutatoque schemate mictum cruentum instituere voluisse, putaui. Transcolata namque solum fuit mucidior sanguinis pars, relicto, & ad ipsam excretionem vasorum vitio non admodum apto cruore.

§. V.

Huic fundamento etiam curam vel medendi methodum, nec infeliciter superstruxi. Dedi enim *pulueres* quosdam *nitrosos* & *temperantes* ad sanguinis orgasmum

(a) Alba catamenia, fluor mulierum albus benignus, talesque haemorrhoides, adeo nota & familiaria sunt practicis, vt eadem non amplius inter rariora referantur.

(b) Vena enim haemorrhoidalis externa, in nonnullis subiectis, imprimis maribus, cohaeret cum vasis sanguiferis venosis ad vesicam vrinariam pertinentibus, eiusque praesertim ceruicem ingredientibus, quae vasa bene descripsit post SPIGELIVM *in Hum. Corp. Fabr.* BAVHINVS *Lib. I. Anatom. Cap. XXII.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0082
DFG

mum & impetum, vrinae ardorem spasticae commotioni vrethrae sine dubio adscribendum, refrenandos. His interposui *mixturam diuretico-resoluentem*, ex *liquore terrae foliatae tartari, spiritu nitri dulcificato*, & *Pimpinellae albae Essentia* compositam.

§. VI.

Quibus per aliquot dies vsurpatis, ingens leuamen sentiebat aeger, quare coeptae methodi insistere, viamque qua ingressus eram sequi consultum duxi. Inter haec patiens obseruauit se per aluum aliquoties lumbricos teretes excreuisse, nullus inde dubito, eidem blandum laxans, ex pillulis Becherianis cum *mercurio dulci* maritatis, paratum porrigere, quod etiam cum euphoria aliquoties aluum soluit.

§. VII.

Post septimanam & quod excurrit hac ratione transactam, omnia symptomata, *mictus* imprimus *albus* euanuerunt, vnde Venaesectione in pede administrata, & *mixtura tonico-resoluente*, ex *liquore Digestiuo Boerhaaui*, *Ess. Pimp. alb. Cort. Cascarill.* composita, felicem imposui curae coronam; & ne malum reuerteretur, aegro suasor autorque fui, vt potui multo, diluenti, aquoso indulgeret, & bis in anno, circa aequinoctia, venam in alterutro pede sibi

sibi secare feciſſet. Quibus diligenter obseruatis postea sanus vixit.

§. VIII.

Non adeo ignota sunt apud medicos mictus albi exempla, quale quid verbi causa TIMAEVS a GVLDENKLEE *Lib. III. Caſ. XLIII. pag. m.* 182. & NATVRAE CVRIOSI *Decad. I. Ephem. Ann. I. Obſ. LXXXIX. pag.* 206. & FELIX PLATERVS de seipso per quadraginta annos, ab hac mictione lactea, vt vocat, vexato, *Lib. III. Obseruat. pag. m.* 785. retulerunt. TIMAEI descriptio ita nostrae quadrat, vt eius verba allegare velimus: *Illustris Dn. Conradus Falckenberg, inquit, Gubernator Calmariae, vltra biennium vrinas mingebat turbulentas, & veluti lacteas, quae vbi aliquamdiu in matula stetissent, materia quaedam alba, pultis instar infundo subsidebat, adeo copiosa, vt dimidium vrinalis plerumque repleret. Inter mingendum ardor aderat & dolor, praecipue sub finem, foetor autem in vrinis nullus, nec pinguedo aut ramenta vel aliud quidpiam.* PLATERI relatio longior est, quam vt hic inseratur, licet probe cum allegatis congruat.

§. IX.

In eis interim cum laudatorum Autorum opinionibus non consentio, quod plerique hanc materiae albae excretionem chylum dicant,

dicant, quae imprimis MOELLENBROCCII *in Ephemerid. Nat. Curios. loc. cit.* est sententia. Conferat inter se, cui placet, illorum & nostras rationes, videatque cuiusnam argumenta sint probabiliora. Calculum mihi denegaturum fore neminem, certo persuasus sum, qui sine praeiudicio historias ponderabit, & corporis humani constructionem, amplissimique negotii haemorrhagici praesertim haemorrhoidalis in plurimos morbos influxum, habet perspectum.

§. X.

Curiosum sane est, quod DRAWIZIVS *de Scorbut. cap. IX. pag.* 377. testatum reliquit, in scorbuticis nempe inueniri haud raro *Vrinam lacteam*, quod symptoma vulgo *Castor* **der Bieber** dicitur. Originem quidem eius, laudatus Autor, itidem ex Chylo deducit; quum vero scorbutus vere talis, adfectus sit in visceribus infimi ventris haerens, & cum motibus haemorrhoidalibus & passione hypochondriaca insignem connexionem habens, si non ipsa sit posterior aegritudo, & meae sententiae inde robur accedit, & opinio refellitur, qua pro chylo materia alba excreta venditatur.

§. XI.

Fluunt vero ex praesenti casu sequentia consectaria; I. Mictus albus, vel vrina

lactea, omni cura distinguenda est ab vrina purulenta, renum & vesicae erosioni, si non ipsi vesicae ceruicis vlceri fistuloso, originem debente; II. Mictioni albae familiarissimum est symptoma ardor vrinae, & stranguria quaedam, vt omnes fere, quae hucusque innotuerunt, obseruationes testantur; III. Mictus albus a mictione purulenta, & Gonorrhoea virulenta in eo differt, quod primo foetor cadaueroſus desit, & deinde quantitas materiae albae longe maior excernatur, quam fieri soleat aut possit in posteriori malo. IV. Mictus albus familiaris est subiectis motibus haemorrhoidalibus, & congestoriis obnoxiis; vt sic recte pronunciauerit HIPPOCRATES *Lib. II. περορρήτ. Sect. X. Aph. VII. Crassa vero vrina albam subsidentiam habens, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem significat;* V. Curatio huius adfectus requirit remedia anteorgastica, depletoria, reuulsiones, vno verbo circumspectam & blandam methodum medendi; VI. Abstinendum igitur hic est quam maxime, a remediis calidis, balsamicis, sanguinem impellentibus, imo & ipsis topicis, ne partim maioribus sanguinis adfluxui, & per consequens infarctui, stasi, & inflammationi, quae facillime vlcera fistuloſa in his partibus difficulter, aut nunquam sanabilia post se

se relinquit, partim ipsi mictui cruento ansa praebeatur. VII. Mictus albus sibi relictus, nec cum inflammatione, nec cum febre coniunctus, consectaria funesta post se non trahit; VIII. In habitum tamen si aliquoties recurrat, aut diutius quam par est duret, facile degenerare potest, qua in parte fluorem album, malum sane pertinacissimum, aemulatur.

MANTISSA
Ad Specim. VIII. Satyrar. Med. Sil.
NVM. I.
D. A. B. C. Med.
Epistola,
Ad Amicum D. E. F. G. Med.
conscripta,
Varia lectu digna in se continens.
Satyrarum Collectoribus
benigniter communicata.

P. P.

Diu quidem est *Fautor ac Amice aestumatissime*, quod literis te haud visitauerim. Occasio partim commoda deerat, partim

digna scriptu materia. Te meas aliquid putare nugas equidem scio, ast eas intelligis, quae vsu non carent. Iuuare debent simul & delectare. Ars nostra sola est, quae quod vtrique scopo satisfacit, e penu sua subministrare solet. En ergo, vt fidem datam liberem, quae collectanea mea exhibent. Noua non esse omnia fateor, lectu tamen non indigna; imo rara quaedam, insolita nec vbique nota deprehendes. Surdos mutosque, licet non audiant, loquentes reperies, arte curatos miraculo simili. Onoldino viuentem scias IOH. FRIDERICVM SVPFF virum insigni ingenio praeditum, qui stupendo artificio, labore & studio, surdos, mutosque, his vitiis natos, imo hebeti ingenio praeditos, libere loqui, literas legere & pingere, docuit. Miseri principia religionis artesque alias, quibus panem lucrare possunt, sic felici successu didicerunt. Onoldinum quendam vtroque vitio a natiuitate laborantem, intra duorum mensium spatium ita instituit, vt iam legat, multaque alia verba distincte eloquatur, cui nihil nisi frequens exercitatio deest. Puella, bubulci in Waldthaun filia, admodum simplex, lingua difficulter mobili insuper praedita, eadem informatione pari euentu gauisa est. Publicum igitur monuit dictus artifex, vt illi, qui

qui aut liberos, aut propinquo sanguine coniunctos surdos mutosque habent, eos sibi informandos tradere, & ratione honorarii, quod satis aequum postulat, secum antea transigere literis datis velint; imo ope sua pauperibus nihilque bonorum possidentibus, modo aliquid manibus laborare, verbi causa nere, fila ducere &c. sciant, deesse non dedignabitur, quum imprimis Sereniſſimus Marchio id institutum omni modo foueat. (a) Nisi tota me fallat

(a) Haec relatio sine dubio ex *Nouis Ratisponensibus* excerpta est, vbi *Num. V. Ao.* 1738. *pag.* 96. haec leguntur: Zu Anspach hat ein gewisser geschickter Mann, Nahmens Herr Johann Friedrich Supff, schon zu verschiedenen mahlen die Probe abgeleget, wie Personen, die gantz taub gebohren, und also auch nicht reden können, ja überdem noch eine schwere Zunge haben, und sonst eines schwachen Verstandes sind, durch fleißiges Unterrichten dahin zu bringen, daß sie reden, lesen, und sowohl ihr Christenthum verstehen lernen, als auch ihr Brod ehrlich verdienen können. Wie er dann in Anspach einen, der von Mutterleibe an nichts hören, noch reden können, innerhalb zwey Monathen so weit gebracht, daß er jetzo lesen kan, und sehr viel Worte deutlich ausspricht, bey dem es also auf weitere Uebung ankommet. Gleicher Gestalt hat eine ziemlich einfältige Hirten-Tochter in Waldthaun, die, nebst den vorgedachten Fehlern, eine sehr schwere Zunge gehabt, unter seiner Information dennoch ihren Catechismum auswendig gelernet, und von ihrer Erkäntnüß im Christenthum

memoria, eiusmodi artificem olim Dresdae vixisse, multaque & illustria diligentiae suae exhibuisse specimina, fando me audivisse recordor. Nuper vitae curriculum CASPARIS NEVMANNI, Inspectoris quondam Wratislauiensis, Viri non solum in Theologia, sed etiam in aliis scientiis praeter morem sortemque Theologorum doctissimi, quem si inter stellas primae magnitudinis eruditorum e Silesiae oriundorum referas, non errabis, propria manu scriptum, in manus meas incidit, in quo sequentia admodum notatu digna verba inueni: Nach meines Seel. Vaters Tode, wel-

so viel an Tag legen können, daß sie zum Heil. Abendmahl gelassen worden. Er hat daher bekant gemachet: daß wer dergleichen taub gebohrne und stumme Kinder oder Angehörige habe, die jedoch nicht unter 6. Jahr alt seyn müssen, solche entweder nach Anspach bringen, oder ihm schrifftlich Nachricht ertheilen möchte, mit der Versicherung, daß keiner dabey in allzugrosse Kosten gesetzet werden solle: indem man sich allein nach eines jeden Vermögen richten will, auch so gar würcklich auf Mittel bedacht ist, den Armen, die das Kost-Geld nicht bezahlen, aber doch was arbeiten können, nach Möglichkeit an die Hand zu gehen; wie dann insonderheit des Herrn Marggrafens Hochfürstl. Durchl. solches auf alle Weise zu befördern, gnädigst entschlossen sind.

welcher auf dem Hinter-Marckte erfolget, bin ich in die benachbarte damahls Volgnadische Apothecke gezogen und überredet worden, die Kunst daselbsten zu erlernen, welches ich mir auch gefallen lassen. In dieser Apothecke hat mich ein darinnen seruirender Geselle zu seinen geheimen alchymistischen Arbeiten gebraucht, dabey ich ihm etliche mahl habe helffen Gold machen/ auch dieses Gold mit meinen eigenen Händen allemahl vertragen, und an einen Petschierstecher verkauffet, doch hielt es nur die Probe von Cronen-Gold. Ein Jude, welcher dieses erfahren, erboth sich uns zu weisen, wie man dieses Cronen-Gold zu Ducaten-Gold erhöhen könne, wann wir ihm dafür unsre Kunst offenbahren wolten, mein Lehrmeister aber wolte das nicht thun. Die Verfertigung dieses Goldes geschahe allemahl aus dem Mercurio oder Queckstlber, welches wir Anfangs in ein Amalgama brachten; Den gantzen Proceß aber hat mich der Meister niemahls sehen lassen. Das folgende Jahr haben mich die Meinigen aus der Apothecke genommen, und ermahnet, alle Gedancken auf das Studium Theologicum zu wenden, weil ich solches meinem Vater auf dem Tod-Bette versprochen: Ich hatte aber um diese Zeit mehr Lust, das Studium Medicinae zu er-

greiffen. (b) Aurum arte conficere posse iam persuasus es, vt facile nouum id testimonium reticere potuissem, factum illud etiam esset, nisi Beati NEVMANNI autoritatem tantam crederem, quae plures movere queat. Non quidem in illa sum sententia, quasi humanis viribus possibile sit, sub-

(b) Haec sane curiosissima verba, in exterorum gratiam latine reddemus. *Post beati mei Parentis mortem, qui in posteriori foro habitans animam efflauit, in vicinum missus sum pharmacopolium, eo tempore Volgnadianum dictum, vt artem pharmaceuticam discerem. Consilium meorum mihi etiam placuit. Ibi Pharmaceutices studiosus vel socius me operationibus suis alchemisticis adhibuit, ita vt aliquoties aurum arte fecerimus, ipseque ego aurum illud factitium, propriis meis manibus sigillorum caelatori cuidam semper vendiderim. Aurum nostrum quoad bonitatem intrinsecam, Rhenanum vel coronatorum tantum retulit. Iudaeus quidam, ad cuius aures susurrus de artificio nostro peruenerat, promisit nobis artem, aurum nostrum exaltandi, in valorem & bonitatem Hungarici, ea tamen conditione, vt mysterii nostri particeps redderetur. Sed praeceptor meus id noluit facere. Componebatur aurum uostrum ex Mercurio vel hydrargyro cum metallo quodam amalgamato, quid vero illud fuerit, aut quae ad integrum processum absoluendum requirerentur encheirises, magister me nunquam edocuit. Anno insequenti ex meorum voluntate Pharmacopolio iterum valedixi, ad monitus vt studio Theologico serio incumberem, quia id parenti moribundo sancte promiseram. Sequutus sum illud consilium, licet eo tempore lubentius medicinae operam dedissem.*

ſubſtantiam in ſubſtantiam *mutare*, quod ſolius DEI eſſe videtur, & ideo metallum in aliud non transmutari, ſed aurum *componi* vel *miſceri*, ex terra mercuriali cum tinctura vel ſulphure fixo intime, beneficio vel interuentu principii ſalini figentis, vnitis, quale quid quotidie in curioſo multumque in receſſu habente experimento, circa terrarum metalliſationem, fieri obſeruamus. Si etiam Cuprum, Plumbum, aliudque minus fixum metallum in aurum transmutatur, vt dici ſolet, eam tantum portionem metalli dicti, quae aut actu mercurius eſt, aut terra mercurialis, in aurum abire ſcias, reliqua in ſcorias. Omnium mineralium & metallorum pars mercurialis eadem eſt, & a mercurio vulgi non niſi puritate & forte ſubtilitate differt, determinatur vero in iſtud vel illud metallum, ratione principii Sulphurei plus minus fixi, ratione deinde terrae vitreſcibilis, hic excrementitiae, & ratione mixtionis plus minus arctae, fixae. Solum aurum ex puriſſimo mercurio, & Phlogiſto ſubtiliſſimo, inter ſe arctiſſime vnitis, adeo vt facilius ſit componere aurum quam deſtruere, conſtat. Auri bonitas, id eſt mira ductilitas, coloris gradus, tenacitas, mollities, grauitas, Aurique & auri differentia horum intuitu, a ſola terrae mercurialis

puritate pendet. Vnde ratio patet, quare aurum a dicto Pharmaceuticae artis ſtudioſo factum non Hungaricum, ſed tantum Rhenanum aemulauerit. Qui igitur aurum bonitatis gradu differens in melius mutare tentat, omnem laborem eo dirigat, vt vitium mercurialis terrae emendet. Sed progrediar ad alia, mittamus chemica, eaque his relinquamus, quibus artificium quaerere volupe eſt, quod pauciſſimis inuenire datur. Alia enim quaeſtio eſt an poſſit fieri, alia an expediat facere aurum. Contenti ſimus eo, quod natura producit, nec quaeramus ab arte, quod raro cum fructu adquiritur. Qui diuites fieri volunt, in tentationem & laqueos multarum ſtolidarum & damnoſarum concupiſcentiarum incidunt, quae homines deinceps perdunt, & in damnationem praecipitant. Retulerunt nobis nuper *Noua Hamburgenſia politica & litteraria Ao.* 1742. *Num.* 24. curioſiſſimum caſum, qui in Italiae vrbe Florentia accidit: "In noſtro Noſocomio publico D. MA-"RIAE nouae, mirabile quoddam & inau-"ditum morbi genus ſuperioribus diebus "obſeruare contigit; Balanum nempe Ru-"ſtici cuiusdam quadragenarii digitatum, "ſiue decem aut duodecim verrucis digiti-"formibus a multis annis obſitum. Sar-"comatum horum ſiue verracarum longi-

"tudo

tudo varia erat; maiores autem dimidium "
pollicem non adscendebant, & crassitie "
pennam anserinam pleraeque aequabant. "
Figura quaedam teretes, quaedam canali- "
culatae, substantia duriusculae erant; duae "
praesertim maiores, e quarum summitate "
vnguis purus putus prodibat, crassitie, "
duritie & colore vngui pollicis pedum "
omnino similis. Vnguem hunc adsidue "
crescentem aeger saepe coeterorum vn- "
guium more resecabat. In aliarum etiam "
verrucarum extremitate callosum quid- "
dam vngui simile observandum. Vrina "
ex foramine inter tres hasce columellas "
latitante, & nonnihil angustato non sine "
aegri incommodo prodibat. Fraenulum "
ab vlcere cancroso reddito, corrosum iam "
fuerat. Penis corpus sanum videbatur. "
A Phimosis & vlceribus in lue Gallica "
contractis, & male curatis, originem du- "
xerunt hae verrucae, quae magnum aegro "
incommodum adferebant in motu pro- "
gressiuo, maximum vero in erectione. "
De hoc autem mirabili, & nusquam alibi "
descripto morbi genere, dubitare nemini "
fas erit; innumeri siquidem testes esse "
possunt, cum per plures dies, cuinam vo- "
lenti obseruare licuerit. D. FRANCISCVS "
TANVCCIVS, Chirurgiae in eodem No- "
socomio Professor, partem colis vitiatam "
die "

"die 7. Dec. 1739. feliciter amputauit,
"inque ſuo muſaeo adſeruat. Futurum
"autem ſperamus, vt vir aliquis adprime
"doctus diſſertationem eadet ſuper hoc
"eodem morbo, in qua pleniorem eius
"hiſtoriam & partis adfectae figuram pro-
"ponat, plurimaque egregia ad rem medi-
"cam illuſtrandam proferat. Notari me-
"retur aegrum praedictum, licet amputa-
"tionem nulla memorabilis haemorrhagia
"ſubſequuta fuerit, mortuum fuiſſe. Nam-
"que die ſexta carus & vehementes con-
"vulſiones acceſſerunt; nona oculi caeci-
"tas ſaeuis ſtipata ſymptomatibus; deinde
"color cutis natiuus in flauum permutatus
"eſt. De vrinae difficultate ac ſtrangulatu
"toto hoc tempore conqueſtus eſt aeger;
"vndecimo tantem pluribus in caſſum ad-
"hibitis remediis mortuus eſt. Cadaueris
"ſectio abſceſſum inſignem detexit ad ra-
"dicem penis, partibus proximis ſphacelo
"hinc inde corruptis. In reliquo corpore,
"ſi oculum ſiniſtrum excipias, nihil vitia-
"tum adparuit, nec in ipſo penis corpore.
Quomodo ergo papillae nerueae glandem penis maximam partem conſtituentes in verrucas vnguibus in extremitate tectas abierint, aliis explicandum relinquo. Vngues enim ſunt apices neruorum epidermide adſcita, vt vagina, complicati, denſati.

ſati. Vid. BOERHAAVE *Inſtitut. Med.* §. *CCCCLXXXII.* Verrucarum originem in glande penis, apud infectos Lue gallica, Idem Medicus *in praef. ad Aphrodiſiac.* depingit, adcurate vt ſolet, quae verba tamen hic non repetam. (*) Nerueas papillas, etiam

(*) Nos interim BOERHAAVII verba, quum LVISINI Aphrodiſiacus non in omnium manibus ſit, ad quae forte reſpexit Autor, lubentes addemus. Altera "pars, inquit (ſcilicet penis) quae ad glandem con-"ſtituendam cum corpore ſpongioſo vrethrae concur-"rit, eſt numeroſa ſeries papillarum neruoſarum "ſentientium, quae a corona glandis vsque ad vrethrae "orificium, ordinatis ſtratis ſuperficiei fabricae ſpon-"gioſae incumbit, atque exteriorem ita glandis am-"bitum facit, vt extremi hic nerui, voluptatis & do-"loris inſtrumenta propria, ſub tenerrima glandis "membrana extima coerciti, ſibi mutuo incumbentes, "iaceant: hinc penis glans, ſi deglubitur hoc extremo "inuoluero, liberis, ſolutis adſurgentibus papillis hirta "tota, & villoſa, adparet. Omnes ſurſum & hae pa-"pillae tenui membranula celluloſa diſtinctae ſunt a "ſe mutuo. Quid ſi ergo tenuiſſimam transgreſſum "membranam externam glandis virus venereum hanc "ipſam exiderit, en nudatas papillas has. Sed vah "quantus tum dolor! Vtique intolerabilis: neque "inter Symptomata venerea vix aliud atrocius excru-"cians. Si tum celluloſa tenuis fabrica abſumitur "tabo veuereo, *ſolutae papillae excreſcunt, faciuntque* "*verrucas venereas*, horrendum Symptoma, imprimis "horreſcens circa coronam glandis; quia plurimae "ibidem papillae. Spectaui & exhorrui, terribile, "hoc malum, quod echini inſtar glandem deformans, "prae-

etiam in aliis corporis partibus, in corneam duritiem & quasi vngues abire solere & posse, inter alia rara exempla puella illa octodecim annorum, dorso, brachiis, cruribus obsita cornibus, duos transuersos digitos longis, partim incuruatis, partim rectis, coloris fusci, apud HILDANVM *Cent. II. Obs. XXV. pag. m.* 125. testatur. Quae inter se collata, forte praesenti casui aliquam lucem adfundent. Reliqua futurae spei, vt aliquis adprime doctus dissertationem edat super hoc eodem morbo, relinquo. Peni adeo singulari ad latus ponam Vterum, pari modo notabilem. Literas namque, quas nuper mihi communicauit Amicus quidam D. D. S *** haud infeliciter hic loci praxim medicam exercens, Hafnia a consanguineo CHR. GOTTL. WENTZEL Wratislauiensi, Chirurgiam apud Dn. WOHLERT ibidem faciente, acceptas, ac die 23. Decembr. 1740. scriptas. Quae inter alia descriptionem & delineationem, hic simul annexam, rari huius phae-

"praeputii motum fere omnem impediebat. Si igitur haec verba cum eis, vbi *loco* ab Autore *allegato* vnguium genesin explicat, inter se conferantur, aliqualis omnino ratio, vel potius possibilitas, inde eluceſcit, quomodo papillae nerueae in rustici descripti glande, demum in veros vngues sese terminarunt.

phaenomeni ſequentibus exhibuerunt: *Mitto ſimul*, ſcribit, *Dno conſanguineo, vteri duplicis delineationem, prout eum ante duos fere menſes in feminino cadauere, inter partum edendum mortuo deteximus. Iniſter vterus foetum, dexter molam continebat.* Signarum in figura haec eſt explicatio:

Tab. Spec. VII. Fig. II.

a. a. Duplex vterus nihil inter ſe habens commune quam vaginam.
b. b. Duplex orificium.
c. c. Valuulae reſectae vt pateant orificia. *Quales valuulae hae fuerunt non intelligo, quum naturaliter hic nullae occurrant, niſi tunicam vaginae rugoſam pro his venditare velimus. Probabile tamen videtur, in ſubiecto tam longe a conſueto ſtatu recedente, etiam adfuiſſe valuulas quasdam in ſolitas.*
d. Vteri vagina in longitudinem ſciſſa.
g. Inteſtinum rectum vteros interiacens a tergo.
f. f. Ligamenta lata.
g. g. Ligamenta rotunda.
h. h. Tubae Fallopianae.
i. i. Ouaria. De quibus poſtremis notandum, quod quilibet vterus vnica tantum Tuba, & vno ouario fuerit inſtructus.

Raram

Raram & notatu digniſſimam, *Amice*, hanc obſeruationem iudicabis, quum ſatis inſignis obſeruatorum & ſcriptorum numerus, in ſupellectile mea libraria extantium, quos huius cauſa conſului, nihil paralleli adferant. Excell. quidem ALBERTI *Lex. Med. Real. Tom. II. pag.* 1166. ex *Act. Erudit. Lipſ. Ao.* 1708. *Menſ. Sept. pag.* 415. duos vteros citat; an vero obſeruatio illa cum noſtra congruat, definire nequeo, quum opus illud mihi in praeſenti non ad manus ſit. Si vteri duplicati ſaepius occurrerent, probabilis imo ſufficiens & certa ratio reddi poſſit, decantati apud medicos caſus, nempe *ſuperfoetationis.* Vix enim comprehendi poteſt quomodo ea fieri, foetus iam alio in vtero habitante nouus creſcere (vt ſpermatis acceſſum vtero grauido mox arcte clauſo, & humore quodam lento circa orificium conglutinato, vix poſſibilem taceam) & deinde priori egrediente ingentibus partus daloribus reſiſtere, & ad iuſtum tempus conſeruari queat. Aliter longe ſe res haberet ſi duplex vterus adeſſet. Adfuit etiam fortaſſis, quis enim omnes mulieres ſuperfoetationem paſſas cultro ſubiecit? Plura nos adhuc latent, quae detegent futura Saecula & poſterioris aeui diligentia. Caeterum Vale, *Amicorum ſuauiſſime*, meamque rhapſodiam aequi bonique conſule. Dabam Kal. Mart. Ao. clɔ lɔcc xxxxll.

Num. II.

Num. II.

D. GODOFREDI HENRICI BVRGHART,

Medici Wratislauienſis,

Extemporanea Diſſertatio

De

Cometa nupero variis in locis

Martio Menſe Ao. M DCC XXXXII.

obſeruato.

§. I.

NEminem adeo peregrinum in rebus noviter factis eſſe credo, vt de *Cometa* illo, per Martium menſem fere totum obſeruato, fari non audierit. Nouum illud Coeli phaenomenon innumeros hominum ad ſui contemplationem allexit, anſamque & occaſionem dedit varias opiniones, ſententias, fabulas, & praeiudicia propalandi, & in vulgus ſpargendi. Multi, & magna eorum pars, qui in eiusmodi ſtudiis hoſpites non erant, imo eſſe non debebant, rem totam negare auſi ſunt, alii Iouem, alii Venerem, alii alias ſtellas maiores, horizonti propinquas, & athmosphaere ſpiſſis vaporibus infarctae, profunde immerſas, & ideo colorem rubicundum adquiſitas, hincque radios

quasi emittentes, pro tam insolitae naturae stella venditarunt. Mira haec sententiarum varietas, ad extemporaneas meditationes, quas publici oculis leuioribus his pagellis exponere non erubesco, conscribendas me impulit. *Lectores* igitur *beneuolos* iterum atque iterum precor, vt, quae fugiente calamo conscripta legunt, aequi bonique consulant, & a doctiorum conaminibus meliora exspectent.

§. II.

Cometae sunt stellae non semper, sed interdum inter reliquum coeli agmen tantum adparentes; cauda semper in regionem soli aduersam directa, plus minus longa, nec vnius eiusdemque figurae, praeditae; diversae magnitudinis, coloris & splendoris; interdum per vnum vel alterum mensem, interdum per aliquot dies obseruabiles; certam coeli regionem non occupantes, mox in hoc, mox in illo asteriscо exorientes; motu tamen regulari planetarum ad instar gaudentes; neque subito sed pedetentim ab hominum conspectu recedentes.

SCHOLION.

Hanc cometarum descriptionem ex obseruationibus circa eosdem factis collegimus. Plura qui velit, adeat IOH. LEONH. ROSTI, *Atlant. Portatil. Coelest. Cap. LXXII. §. 1. & 2. pag.* 339.

VNI-

VNIVERSAL-LEXICON *Tom. VI. hac voc. pag. 792. seqq.* Omnesque fere Physicos & Astronomos. Eam interim adeo claram esse, vt illi facile tam a *stellis fixis*, quam aliis *errantibus*, aut sic dictis *Nouis stellis*, quales post HIPPARCHVM, in *Cassiopeiae* sidere 1572. TYCHO BRAHEVS, & 1604. KEPLERVS in *Serpentario* obseruarunt, distingui possint.

§. III.

Antequam autem nostram de cometarum Natura mentem breuibus exponamus, necessum erit, Cometae nuperrimi historiam, ea fide & circumstantiis exponere, qua *Noua publica* hanc variis e locis collectam exhibuerunt. Prima quam oculis vsurpauimus eius rei relatio, *Harlemo* venta est, & a 6to Martii die initium habet, quae in *Nouis Lipsienſibus Hebdom. XII. partic. II.* 1742. *pag.* 95. sequentibus verbis inserta legitur: *Harlemo Non. Mart. Nostrae vrbis Mathematici ISENBROCKIVS atque KLINCKENBERGIVS, Cometae, qui per aliquot dies adparuit, descriptionem sequentem dederunt: Pridie Non. Mart. mane horae secundae post dimidium visus est ad decimum gradum septentrionis orientem versus, cuius altitudinem super horizonte nubes definire prohibuit. Post dimidiam horae tertiae obstaculis remotis*

obſeruatus adſcendiſſe horizontem ad gradum circiter vigeſimum ſecundum atque dimidium, & diſtare a lucida lyrae ad gradum vigeſimum ſecundum, nec non a ſtella maiori aquilae ad gradum decimum quartum ſi addas dimidium. Dicti ſideris ad latus auſtrale cauda eius prominebat, conſequenter cometa decimum quintum & ſextum in Capricorno gradum occupauit & quidem ſeptentrionem verſus ad gradum trigeſimum octauum vel quadrageſimum. Longitudo caudae gradibus quinque abſoluebatur, ipſe vero cometa magnitudinem ſtellae primae & ſecundae intermedium praeſeferebat.

SCHOLION.

Antiquiorem hac relatione, quae verbi cauſa diem, qua prima vice ſe intuentium oculis obtulit, huc vsque neſcio. Vigiles quidem, in turribus noſtris Wratislauienſibus ad Mariae Magdalenae templum habitantes, interrogati teſtabantur, ſe hanc ſtellam paulo poſt Feſtum natiuitatis Chriſti circa Februarii initium iam obſeruaſſe, ſed pro nihil rari & inſoliti habuiſſe. Haec in medio relinquimus, licet admodum credibile nobis videatur, quod Cometa iam in Februario adfuerit, ex ea ratione, quia nuclei magnitudo & caudae longitudo, quum prima

prima vice ab huius rei peritis obſervaretur, initio Martii ſatis illuſtris fuit, & de die in diem vtraque minor reddebatur. Locus deinde cometae ad XV. Capricorni gradum ſeptentrionem verſus, & quidem ad trigeſimi octaui gradus latitudinem, tributus, pluribus lectorum offendiculo fuit, neſcientibus quid haec verba ſibi velint. Sciendum autem eſt, quod tota Coeli ſuperficies, ſecundum ordinem duodecim Zodiaci ſignorum, in duodecim partes, *Dodecatemoria*, vel interdum *domus coeleſtes* (licet eaedem in ſenſu proprio aliud quiddam ſignificent) vocatas diuidatur. ROST *Lib. citat. Cap. XXVII. tot. pag.* 102. *ſeqq.* Vſus interim huius diuiſionis paruus vel nullus eſt, quum ab Aſtrologorum vanitate originem habeat. Quod autem ab Harlemenſibus ſimul notati ſint Dodecatemorii gradus, ex ea ratione factum videtur, vt quilibet in globo artificiali coeleſto locum cometae facile notare poſſit. Id facili negotio fieri non nequit, ſi quis in eiusmodi Globo ad Harlemenſim horizontem polum eleuet, poſtea XVtum aut XVItum Capricorni Dodecatemorii gradum ſub meridianum

 ducat,

ducat, & postea in eodem meridiano latitudinis septentrionalis gradum quadragesimum notet, punctum illud cometae locum in coelo dabit. Accuratius tamen inuenitur, si in eodem globo, & quidem mensura circuli eius maximi, circino tot gradus capiantur, quot a lucida lyrae distabat cometa, arcusque ducatur, & postea totidem gradibus, quot a lucida aquilae abfuisse dicitur, arcus ductus intersecetur, hoc intersectionis punctum verum cometae locum, quem Vta Martii die occupauit, sine dubio monstrabit. Eandem Harlemensium relationem postea *Noua* nostra *Wratislauiensia N. XXXIV. pag.* 157. vernacula lingua repetebant, additis in latinas non occurrentibus verbis: *Nocte praecedente, hora post mediam noctem secunda cum dimidia, adhuc conspectus est, quum sedecim tantum gradus & decem minutis primis sub lucida Lyrae steterit, caudamque post se traxerit sex graduum.* Quae relatio ad *Septimum Martii diem* pertinet.

§. IV.

Alia Relatio, quae totum fere cometam in phaenomenon aliud conuertere laboravit, multisque inter coelicolas nostrates, sit

sit venia verbo, Astrophilos intelligo, altercationibus & disputationibus occasionem dedit *Delphis VII. Id. Mart. in Nou. Lipsi. citat.* exhibebatur. *Nudius tertius, & praeterita nocte Astronomiae cultores de Cometa, qui coelo sereno per aliquot noctes a Septentrione versus Austrum se obtulit, obseruationes quasdam consignare desudarunt. Enimuero quidquid impenderint operae, vere tamen determinare non audent, cometam proprie sic dictum esse, an potius Phaenomenon aliud, & quidem radium exacte respondentem luci Boreali, causam allegantes, quod radius ille coelo admodum sereno grauior modo, modo leuior adpareret.*

SCHOLION.

Tam repentina caudae mutatio mihi sufficere non videtur, cometam reddere dubium. Nam IOH. CHRISTOPH. STVRMIVS, Egregius ille superioris Saeculi apud Altdorffinos Mathematicus, habita ibidem 1687. *Dissertatione de Natura, Motu, & Origine cometarum*, quae postmodum recusa legitur in *Philosophia Eius Ecclectica Tom. II. Num. III. a pag.* 106. *ad* 193. hanc caudarum vibrationes inter solita, nec inconsueta cometarum Phaenomena refert. Ita enim *cit. Diss. Cap. II. Num. III. Phaenom. XXIII. pag. m.* 135. scribit: *Admirandum adhuc*

magis Phaenomenon obtulerunt Caudae Cometarum annorum 1556, 1607, 1618. *&c. Ita fluctuantes ac vibrantes, vt aliquando recentes quasi radios exspuerent, nunc subito breuior facta cauda, mox vno nictu ocali alterna radiorum eiaculatione longior iterum euaderet, non nunquam & extremitas caudae multum dilateretur & scoparum aa instar spargeretur &c. nec aequaliter tamen haec diebus singulis, at sereno interim coelo & stellis etiam vicinis immutato vultu conspicuis; prout huius rei testes oculatos CARDANVM, KEPLERVM, CYSATVM WENDELINVM ac SNELLIVM adducit HEVELIVS Lib. VIII. Cometograph. pag.* 509. Cometas in textu allegatos proprie tales fuisse nemo dubitat, quamuis eorum caudae vibrarunt; Symptoma, vt ita loquor, licet maxime admirandum, attamen eis satis familiare est, caudae in singula momenta mutabilis status.

§. V.

Quae *Lugduno Batauorum* ab 8uo Martii die scribebantur, ita erant constitutae circumstantiae, vt Cometam ad ἀγωγὴν Perfectionis suae peruenisse inde concludi possit. Sic enim verba in *nouis Lipsiensibus Hebdom. XII. Part. II. pag.* 95. sonabant:

Lugd.

Lugd. Batau. IIX. Id. Mart. Hodie mane ab hora quarta ad quintam, qui omnium in ore esse coepit Cometa ad duodecimum gradum, sub lucida lyrae orientem versus & supra Cygnum visus fuit. Azimuth constituebat quindecim gradus & dimidium ab oriente meridiem versus, altitudo vero adscendebat quadragesimum sextum gradum, & quadraginta quinque momenta, cauda porrecta a meridie versus, quae nouem ferme gradus longa erat. Corpus eius obscurum adparet, maius stella fixa, & in medio eius punctum satis lucidum, interspersis aliquot his minoribus, perque caudam eius, quo latius se extendebat, eo magis deficientem, fixae quaedam stellae pellucebant.

SCHOLION.

Hac die omnium pulcherrime fulsit, caudamque longissimae extensionis nactus est, nouus coeli nostri hospes, vnde merito coniicias eundem quasi in perigaeo fuisse constitutum, nobisque maxime propinquum, postea vero sensim sensimque recessisse, donec oculis nostris sese plane subduxerit. Si ponamus eum vsque ad 28. vel 29. Martii diem, vbi postrema vice nudis oculis, at sine cauda, stellae sextae magnitudinis aequalis, hic loci conspectus est, & sic per viginti dies sese a puncto nobis maxime vicino elon-

gasse, eique totidem dies demus, antequam locum terrae nostrae propinquum adtigerit, consequens est, vt XIV. Calend. Mart. vel XVI. Februarii die, imo prius iam visibilis extiterit. An vero quisquam eundem circa idem tempus obseruauerit ignoramus, quum nihil ad aures nostras peruenerit, vigilum enim relationem (§. *III. Schol.*) tantam non facimus, vt eandem pro indubia veritate venditare velimus, licet eam non ex toto reiiciamus, & quidem ex rationibus hic allegatis.

§. VI.

Rumor ille plurimos Astrosophos excitauit, vt inconsuetam stellam cernere auerent, quare *Berolinenses* sequenti modo obseruationis suae rationem reddere conati sunt. *Noua Wratislauiensia N. 33. pag. 152. Ex Regio Obseruatorio a Professoribus nostris die solis praeterlapso, V. nempe Id. Mart. Cometa nouus visus est, & quidem vesperi ab vndecima, ad sequentis diei crepusculum. Locum occupauit in dextra cygni ala, ita, vt cum lucida lyrae & occidentaliori Cephei humero rectam constitueret lineam. Ex his palam est eundem luxisse in circulo parallelo semper adparente. Cauda eius totam noctem in solis oppositum directa, gradum circiter vnum circuli maximi aequabat.*

§. VII.

§. VII.

Huic relationi, aliam *Gorlitio* profectam ad latus ponemus, eundem vndecimam Martii diem denotantem. Sic enim loquuntur *Noua Lipsiensia Hebdom. XIII. Partic. II. pag. 103. seq. Gorlitio XIV. Cal. April. Postquam ruricola nostram in vrbem venit, venit autem VII. Id. Mart. narrauitque sibi visam per aliquot dies stellam nouam caudatam, tertio post die nimirum V. Id. Mart. vesperi ab hora ferme decima ad duodecimam & quod excurrit, tubo Astronomico septem vlnarum adhibito, cuius obiectiuum, vt Astronomi loquuntur, sub auspiciis celeberrimi post fata TSCHIRNHAVSII confectum fuit, experimentum problematis rustici fecimus & cometae huius rationem habuimus.* (a) *Constitutus ille erat in extrema parte alae dextrae Cygni, & quidem inter stellam quartae magnitudinis in ala cygni & aliam quintae magnitudinis Draconis, quarum hanc c, illam k literis signandam BEYERVS duxit. Per Tubum adparuit crinitus, cuius nucleus Martem aequabat, sed luce praeditus minus clara, clariore tamen, quam crines & cauda, quae auersa solem fugiebat. Ex quo haud obscure colligitur hunc cometam eundem esse, quem de la HIRE Ao. 1698. die a 2. Sept. ad eiusdem diem 28. obseruauit,* (b) *vt docent Acta Erud. ad Ao. 1699. Mens. April. pag. 181. Dolendum merito,*

rito, quod recreationem hanc oculorum nobis subduxerit pluuiosa tempessas a dicto ad hodiernum vsque diem, si excipias noctem die 13. *Martii, qua per breue admodum tempus comparuit, cum ad manus iam essent arma vitrea ab ipso* TSCHIRNHAVSIO, *dum viueret fabricata, tubique decem & quindecim vlnarum, quibus adcuratiorem hospitis tam rari* (c) *delineationem dare in votis, sed frustra habuimus.*

(a) *Laudi omnino ducitur Athenis Lusaticis, quod in rebus Astronomicis, cum aliis de palma certare non intermittant, nec exulasse Gorlitio videatur studium hoc ab eo tempore, quo Astronomus insignis* CHRISTIANVS FVNCCIVS *ibidem floruit, cuius Cometoscopia Ao.* 1682. *Gorlitii in* 12mo *edita prostat.*

(b) *Reditum cometis pariter adscribit* CASSINVS *in Act. Academ. Scient. Paris. ad A.* 1699. *Hist. pag.* 72. *& Mem. pag.* 36. *Comparationem praesentis cum praeterito non temere instituunt, instituit quoque eius qui Ao.* 1707. *& qui A.* 1723. *adparuit idem* CASSINVS L. *c. ad A.* 1725. *Hist. pag.* 63. *& Mem. pag.* 173.

(c) *Rari quidem, non tamen rarissimi, vtpote cuius praesentiam hoc Saeculo vel quinquies eruditi iam exosculati sunt,* (*) *& doctissimis suis obseruationibus illustrarunt & quidem visum*

1. *Ao.*

(*) Oblitus est doctissimus huius relationis AVTOR illius cometae, quem Ao. 1718. a 18. Ianuarii die per plures sequentes KIRCHIVS Berolini obseruauit, qui cauda caruit, sed nebulosae tantum ad instar stellae adparuit. Crinitus inde sine dubio dici meretur. ROSTI *Atlas Astronom. portatil. Cap. LXXII. §. 14. pag.* 344. Necessum interim non est vt caudam semper post se trahant cometae.

1. *Ao.* 1702. *BIANCHINVS in Act. Acad. scient. Paris. ad Ao.* 1702. *Mem. pag.* 124. *Hist. p.* 65. *CASSINVS L. c. Mem. pag.* 127. *&* 223. *de la HIRE L. c. Mem. pag.* 118. *KIRCHIVS, in Miscell. Societ. Berol. Tom. I. pag.* 212. *ALPH. des VIGNOLES, cuius Disquisitio chronologica de periodica reuolutione cometae Ai. Millesimi Sexcentesimi Sexagesimi Octaui Ao. Millesimo Septingentesimo Secundo, legitur in Miscell. citat. Tom. I. pag.* 251. *& Animaduersiones eius de reditu Cometarum in Biblioth. Germ. Tom. XXXIX. pag.* 152.

2. *Ao.* 1706. *CASSINVS in Acad. scient. Paris. ad A.* 1706. *Mem. pag.* 91. *&* 148. *Hist. pag.* 104.

3. *Ao.* 1707. *Idem CASSINVS L. c. ad A.* 1707. *Mem. pag.* 558. *Hist. pag.* 103. *& ad A.* 1708. *Mem. pag.* 89. *&* 323. *Hist. pag.* 97.

4. *Ao.* 1723. *MARALDVS L. c. ad A.* 1723. *Mem. pag.* 250. *Hist. pag.* 73. *ad A.* 1724. *Mem. pag.* 365.

5. *Ao.*

---

cometae. Cuius rei rationem adfert IOH. CHRIST. STVRMIVS *citat. Diss. Cap. II. N. III. Phoen. XX. pag. m.* 134. sequentibus. *Haec etiam circumstantia probe notanda est, Cometas proprie dictos, hoc est crinitos tantum & cauda barbaue destitutos a sole vt plurimum maxime distare deprehensos esse, prout certe TYCHONIS ille anno* 1585. *in lino piscis australis adeoque in Ariete haut procul ab eccliptica conspectus est, sole tum in prioribus scorpii gradibus versante; atque hic in consequentia more solito progrediebatur, ita similiter ille delatus in consequentia arietis Taurique constellationem, oppositionis pristinam rationem constanter tenuit. E contra vero nouissimus noster, eique similes alii annorum* 1264, 1618. *&c. ingenti cauda conspecti, soli vel occidenti vel orienti vicini & coniunctioni propiores fuere.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0113
DFG

5. *Ao.* 1739. *de quo* EVSTACHIVS ZANOTTVS *peculiari Disquisitione egit, quae Ao.* 1739. *Bononiae in quarto edita recensetur in Act. Eruditor. Lipsi. ad Annum* 1740. *pag.* 666.

§. VIII.

Coeli in nostro climate pluuiosi, nubibus & niue pleni facies impedimento fuit, ne hic *Wratislauiae* conspiceretur cometa, de quo tamen multa iam dicebant docti & indocti. Tandem & ille in *Nouis Wratislauiensibus N. XXXIII. pag. 151.* adparuit. *Wratislauia XV. Cal. April.* sic scribebatur. *Pridie Id. mane Tempore inter primam & secundam medio Cometa nudo oculo conspectus est, quamvis per breue tantum temporis interuallum, quia coelum erat nubilum, ita vt tenuis quaedam nubes eum occultaret, & tantum nucleus interdum cerneretur. Locum occupauit in collo Draconis, & cum lucida lyrae & prima lucida in capite Draconis triangulum constituit, cuius latera tamen non omnimodo aequalia esse videbantur. Coloris erat pallidi, vt nebulosae esse solent, cauda eius versus Zenith, & consequenter in Austrum directa, duarum vlnarum longitudinem habebat. Quum igitur a polari stella parum absit, consequens est vt non occidat, sed per totam noctem, modo coeli serenitas faueat, visibilis existat. Idibus Martii Stinauia ad viadrum relatum est, quod eandem nouam stellam eadem facie & figura viderint.*

SCHO-

SCHOLION.

Praesens relatio, a viro harum rerum gnariſſimo profecta, me de praesentia cometae ſatis certum reddidit, quare *XI. Calend. April.* poſtquam coeli ſerenitas redibat, Adm. Reu. P. IOH. LEWALD, *Soc. Ieſ. & in Academ. Leopoldino-Fridericiana Matheſ. Profeſſor.* Virum doctiſſimum, adii, eoque comite ſplendidum Academiae Obſeruatorium conſcendi. Ille mihi primo monſtrauit *Venerem* ab Horizonte poſt ſeptimam veſpertinam, parum diſtantem, a multis pro cometa habitam, per Tubum pertica longum, falcatam adparentem. Poſtea aream inter *vulterum cadentem, cygnum, & caput Draconis* ductu *Mapparum Aſtronomicarum* DOPPELMAYERI diligenter examinauimus; antequam vero hunc laborem ad finem perducere, nouum haemisphaerii noſtri aduenam detegere poteramus, Luna, quae die praecedente plena fuit, oriebatur, omne noſtrum conamen, luce ſua & ſplendore, minores ſtellas obfuſcante, reddidit inane.

§. IX.

Poſtrema relatio *Wratislauia* profecta in *noſtris Nouis N. XXXVI. pag.* 165. ſequentibus

bus verbis concepta legitur. *Wratislauia VII. Cal. April. Nuperus cometa, postquam eius obseruationem, partim coeli minus serena, sed nubibus obfuscata facies, partim lunae soli oppositae splendor, prohibuit, IX. Cal. April. hora nona vespertina iterum visus est, licet paruus, & debili luce praeditus. In consortio adparuit stellarum quarundam sextae magnitudinis, cauda porecta in plagam inter Austrum & orientem intermediam. Locum occupauit sub stella polari, qua cum & media caudae vrsae minoris Triangulum acutum, constituebat, cuius apex horizontem versus dirigebatur. Luna exorta visui se pededentim subduxit. Subsequente die VIII. videlicet Calend. April. circa horam vespertinam octauam vltra gradum altius adscenderat, magis versus occasum motus. Nucleus satis distincte, caudaque in eandem vt heri plagam extensa nudo oculo facile cerni, & ab aliis sextae magnitudinis stellulis eidem vicinis probe discerni poterant, vsque dum Luna rediens vtrumque obfuscaret.*

§. X.

Iam mearum esset partium certiora de Motu Cometae nostri, deque circulo vel potius ellipsi ad parabolam accedente, in qua motum suum absoluere solet, proferre, distantiam eius a terra determinare; aut coniecturis adsequi, quantum temporis necessum habeat cursum suum absoluendi, & per

& per consequens rediendi. Haec omnia inquam expectabit Lector. Doleo interim, quod hac in parte spei neque eius neque meae satisfacere possim. Obseruationes videlicet adlatae non sufficientes, nec ita institutae sunt, vt data adessent, quae adcurato calculo pro fundamento sunt. Quis verbi causa ex obseruationibus omnibus allatis tantum eruet, quantum pro expiscanda Cometae parallaxi necessum est? Quis sine parallaxeos inuentione Distantiam sideris determinare audebit? vt alia iam taceam.

SCHOLION.

Quod ad motum Cometarum adtinet, NEWTONIVS tam clare, tamque perspicue leges huius detexit, vt quilibet haec vestigia sequens Phaenomena harum stellarum explicare possit. Conf. VNIVERSAL-LEXIC. *voc. Comet. Tom. VI. pag. 805. seq.* vbi lingua vernacula varia huc facientia, ex illustris illius Angli *Princip. Philos. Mathemat.* excerpta leguntur. Ex quibus imprimis sequitur, cometas in aphelio gradu longe lentiori procedere, quam in perihelio; Nosque terricolas, cometas obseruare non posse, nisi in perihelio & perigaeo constitutos,

Distantiam nostri a Terra quod adtinet, eandem notabilem fuisse, quia Cometam omnes, verbi gratia Harlemi & Wratislauia, in vno eademque loco, obseruarunt, quo sequitur eundem satis alte in coelo haesisse, vt ad minimum Iouis regionem, si non altiorem cursu attigisse credibile sit. Comparatio a Gorlicensibus inter nostrum, & eum, qui 1698. a de la HIRE obseruatus est, instituta, eatenus quidem quadrat, quatenus vterque Polari stellae satis vicinus fuit, in eo tamen multum differt, quod prior longe aliam viam, quam noster emensus sit. Die videlicet 2. Septembris primum obseruabatur in Cassiopaea; die 4. in Cepheo in medio stellarum per *i* & *ξ* a BAYERO notatarum; die 6. prope duas stellas *θ* & *π* in manu Cephei; die 7. sub extremam fere partem alae Cygni, quo in loco fere eius viam, nostri traiectoria linea, ad angulum acutum secuit; die 9. crus Herculis dextrum adtigit; die 13. Caput, die 16. Clauam Herculis, & demum die 24. postrema vice visus est, supra pedem Scorpionis prope duas stellas informes. Iter illud 113. graduum fuit. A polo autem mundi arctico die 5ta Septem-

Septembris 26. gradus distabat, propius enim non accessit. A prima autem via quoad latitudinem, primo 7. grad. 30. minut. prim., & deinde 10. gr. 45. min. pr. deflexit. Conf. *Act. Erudit. Lipsi. 1699. Mens. April. pag.* 181. vbi haec e *Diario Eruditor. Parisiens. XXXVIII. Ao. 1698. pag. 453.* excerpta leguntur, & DOPPELMAYERI *Glob. Coelest. in Tabul. plan. redact. part. I. & V.* quae viam ipsam designatam exhibent. Noster vero motu plane contrario ferebatur, prima enim vice notatus est inter lucidas Aquilae & Lyrae, postea per collum & alam dextram Cygni, deinde collum & corpus Draconis transiit, donec stellae polari adeo arcte iungeretur, vt vix quatuor vel quinque gradibus ab ea distaret, & demum in dextro Cephei pede postrema vice oculis nudis sine cauda, nebulosae ad instar, cerneretur. Quo itinere ad minimum 70. gradus circuli maximi absoluit. Notatu dignus est cometa, a CASSINO 1707. ab 28. Novembr. ad 25. Decembr. obseruatus, qui, si diutius ei fulgere datum esset, sine dubio viam nostri, si non ipsam, admodum tamen vicinam sequi videretur. Vid. citat. DOPPELMAYERI

Tabulas part. V. inter sidera *Antinoi, Aquilae, Delphini, vulpeculae & cygni.*

§. XI.

Praeter haec quaedam adhuc de motu & figura dicenda restant. Motum iam satis descriptum, omniaque sydera, in quibus tanquam suo Zodiaco iter absoluit, notata sunt. (§. *X. Schol.*) Mouebatur autem *a V. Id. Mart. ad XVII. Calend. April.* & sic in quinque dierum spatio, versus polum, per 20. gradus, *Noua Berolinens. Polit. & erudit. No. XXXV. Ao.* 1742. Ex quo adparet, eundem circa praefatum tempus omnium velocissime cucurrisse, & terrae nostrae maxime vicinum fuisse, post hos dies iterum magis magisque recessisse. Si porro consideramus locum solis, qui circa hoc tempus latitudinem habebat australem, quamvis aequatori admodum propinquus esset, & deinde cometae locum, tam insigniter a se inuicem remotos, & tamen eum in perihelio constitutum, facile coniici potest orbitae eius amplitudo, & quam insigne requiratur tempus ad reuolutionem eiusdem. Cursum deinde absoluit secundum ordinem signorum, coelo vt solet in Dodecatemoria diuiso, nam ex ♑ vbi primum obseruatus est in ♒, ♈, ♉, ♌, ♊, & demum ♋, ex quo sequitur, quod etiam obseruationes docuerunt, vt quo magis pro-

procedant, eo minori velocitate ferantur, quae velocitas indies minuitur quo magis ad oppositionem solis vehuntur, adeo vt stationarii imo & retrogradi videantur; circa coniunctionem vero cum sole motus eorum velocissimus reperiatur. Conf. VNIVERSAL-LEXICON. *voce Comet. Tom. VI. pag. 794. seq.* Figuram addimus in *Tabula II. ad hac & praeterit. spec. Figur. II.* qualem *Noua Berolinensia num. cit.* exhibuerunt.

SCHOLION.

Rari sunt cometae, qui planetarum, ad instar, in Zodiaco tantum vaguntur, sed omnes fere longe in aliis locis, & inter alia coeli sidera, sese exhibuerunt conspiciendi. CASSINI quidem ex diligenti plurimorum consideratione inuenit, peculiarem quendam quasi Zodiacum eis esse, quem sequentibus versibus expressit:

Antinous, Pegasusque, Andromeda,
Taurus, Orion,
Procyon atque Hydrus, Centaurus,
Scorpius, Arcas.

Sed & haec exceptionem pati, praeter alios, vel ex nostro cometa adparet. Tricuspidalis fuit cometae cauda, quae figura licet a consueto more aberret, nihil tamen plane insoliti

monstrat, quum ille a CORNEL. GEMMA & TYCHONE 1577. Mense Nouembri obseruatus, caudam in plures alias diuisam post se traxerit. Conf. STVRM. *Diss. de Nat. Com. Cap. II. Num. III. Phaen. XXIV. pag.* 136. *Fig. II. Iconism. A.* STANISL. LVBIENIETSKY *Theatr. siue Histor. Cometar. Tom. II. ad ann. 1577. pag. 373. seq.*

§. XII.

Nunc quaedam dicenda mihi sunt de Cometarum Natura, & inter quam Phaenomenorum Classem ab eruditis referuntur. Diuisae sunt, vt solent, hominum sententiae, altera pars eos pro Meteoris tunc demum natis, quando adparent, altera pro corporibus mundo coaeuis habet. Priorum latus ARISTOTELES, seuerus ille per plurima Saecula in naturali scientia dictator, eiusque sequaces premunt, posteriorum Pythagorici, & recentiores propemodum omnes. Ipsa Stagyritae verba *Lib. I. Meteor. Cap. VII. pag. m.* 320. hic legere non grauabuntur, quibus autoritas istius philosophi magno adhuc in pretio est. "Supponimus, inquit, mundi terrae circumfusi primam eam omnem partem, "quae orbiculari subest lationi, exhalationem esse calidam aridamque. Eam autem,

tem, & insuper aeris, quem suo in sinu
fouet & amat, haud parum circularis latio
ac motus secum circa terram raptat ver-
satque. At interim dum illa fertur ac
mouetur hoc pacto, qua forte fortuna
fuerit bene temperata, saepe incenditur: ob
quod & illos sparsorum syderum discur-
sus fieri dicimus. (a) Cum igitur ob supe-
riorum corporum conuersionem in eius-
modi densitatem igneum inciderit princi-
pium, neque tam vehementer multum, vt
continuo & diu exurere queat, neque por-
ro tam debile, vt statim extinguatur, sed va-
lidius, & quod diutius possit permanere,
simulque contingat, vt subuolet in eum
locum probe temperata exhalatio, aptaque
vt incendatur, tum id sidus crinitum fit,
quamcumque figuram surrecta exhalatio
contraxerit. Nam si vndique similis fuerit,
cometes, (id est stella crinita & comarum
modo in vertice hispida) nuncupatur;
sin autem oblonga, pogonias (quasi dicas
barbata, & cui inferiori ex parte in spe-
ciem barbae longae promittitur iuba)
vocitatur. Vt autem huiusmodi latio,
stellae latio; sic & statio stellae, statio vi-
detur esse. Idem enim propemodum fit,

(a) Eandem igitur vt stellis, quas cadentes vocare solet re-
centior aetas, adsignat naturam. Sed minus recte vt
ex sequentibus patebit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0123
DFG

"ac si quispiam torrem, aut paruum ignis
"principium in palearum cumulum acer-
"vumque immiserit atque iniecerit. Cito
"namque ob succensae materiae accom-
"modantiam in longitudinem sequela qua-
"dam serpit. Itaque si id edurarit, nec
"transeundo emarcuerit, qua potissimum
"parte succensio densèt, lationis profecto
"initium, excursionis fiet finis. Tale est
"& crinitum sidus, vtpote, quod non aliter
"quam stellae discursus, principium in se
"finemque habeat. Cum igitur constitu-
"tionis principium in ipso inferiori loco
"existit, per se cometes adparet. Cum
"autem sub aliqua stella, aut errantium, aut
"coelo ad fixarum, motionis opera con-
"stiterit exhalatio, tum exhisce quaepiam
"fit cometes. Nec enim coma ipsis ad-
"haeret stellis; sed sicuti coronae circa
"solem ac lunam adparent, sidera ipsa
"quamuis alio demigrent sequentes, vbi
"aer adeo densatus est, vt haec adfectio
"sub solis itinere fieri queat, sic & astris
"ipsis coma ceu corona existit. Verum
"corona tali colore ob refractionem insi-
"gnitur; at comae colorem quem praefe-
"runt, in sese habent. Cum igitur iuxta
"stellam aliquam talis concretio facta fue-
"rit, cometes eodem quo stella motu ferri
"videatur, est necesse; Cum vero per se

"con-

conſtiterit, tum ſubſidens & relicta videtur. Nam latio mundi, qui circa terram eſt, agnoſcitur eiusmodi. Hoc autem maxime inſinuat, cometem non eſſe, perinde vt coronam, refractionem quandam, quae in ſuccenſione pura & nitida, ad ſidus ipſum, aut quemadmodum HIPPOCRATES (b) affirmat, ad ipſum ſolem fiat; quod & plerumque cometes per ſe, & ſaepius quam circa ſtellas quasdam definitas fieri ſoleat." Interim retuliſſe hanc ſententiam, idem eſt, ac refutaſſe. Tam parum enim cum obſeruationibus circa cometas veteri ac recentiori aeuo diligenter factis conciliari poteſt, vt ARISTOTELEM vnquam cometam, vel fugitiuo tantum oculo adſpexiſſe credibile non videatur. In re tam ſeria tamque illuſtri, nugas effutire haud licet.

SCHOLION.

Piaculum ſane foret huic opinioni vsque ad TYCHONIS tempora quaeſtionem mouere, adeo alte infixa erat hominum animis. Non vnum tamen in ſe excitauit aduerſarii calamum BRAHEVS, inter quos acerrimum geſſit THADDAEVS HAGECIVS Bohemus. Qui tamen obſeruato de-

(b) Non Cous, ſed Chius inter philoſophos clarus.

mum 1580. cometa nouo, palinodiam canere, ipsaque ad castra Tychonica accedere, ac dogma Aristotelicum, Cometas esse meteora deserere, se veritate victum, videbat coactum. Iam relegati erant cometae ex athmosphaera, & ad minimum supra lunae orbitam, si non vlterius eleuati, quum occasione cometae 1608. adparentis controuersia iterum resuscitaretur; vtrum videlicet essent *corpora mundo cogeua*, an vero nouiter in aethere generata? Irregularis nuclei facies per telescopia obseruata, posteriori deinceps stabiliendi, ab ARISTOTELIS placitis non admodum alienae occasionem dedit, cui KEPLERVS prae reliquis accessit, & cometarum in aethere generationem, vt piscium in aequore, probabilem reddere conatus est, quam speciosiorem deinceps fecit CYSATVS, & cometas eiusdem cum solaribus maculis esse naturae coniecit. Nitidissime porro exculta est ab HEVELIO Astronomo sui temporis maximo, cuius etiam autoritas plurimos mouit, vt calculum adderent, inter quos STVRMIVS saepius laudatus referendus est. Interim tamen omnium expectationi haec

haec ſententia non fecit ſatis, praeſertim quum ipſe HEVELIVS fateretur, ſuam hypotheſin omnibus cometarum phaenomenis vix ſufficere.

§. XIII.

Alteram hypotheſin, quam ARISTOTELES *Lib. I. Meteor. c. VI.* Pythagoricis, vt & PLVTARCHVS *Lib. III. de Placit. Philoſ. cap. 2.* SENECA praeter hos, etiam Chaldaeis, DEMOCRITO, & aliis magni nominis viris *Lib. VII. Quaeſt. Natu. III.* adſcribit, paucis etiam attingere volumus. Statuit enim illa, Cometas mundo coaeuos, & ſtellas eſſe, certum reuolutionis periodum ſeruantes, qua abſoluta, in terricolarum oculos incurrunt. Ipſe SENECA haud male ratiocinatur hac de re quando ſcribit: Non exiſtimo Cometem ſubitaneum eſſe“ ignem, ſed inter aeterna opera naturae.“ Cometes habet ſuam ſedem, & ideo non“ cito expellitur, ſed emetitur ſpatium“ ſuum, nec extinguitur, ſed excedit. Si“ erratica ſtella eſſet, in ſignifero eſſet, ſed“ quis vnum ſtellis limitem ponit? Quis“ in anguſtum diuina compellit? nempe“ haec ipſa, quae ſola moueri credis, alios“ & alios circulos habent, quare ergo non“ aliqua ſunt, quae in proprium iter & ab“ iſtis remotum ſeceſſerint? vt ergo co-“ gnoſcantur, neceſſarium eſt, veteres ortus“ come-“

"cometarum habere collectos, deprehendi "enim propter raritatem eorum cursus "adhuc non potest, nec explorari an vices "seruant, & illos ad suum diem certus "ordo producat. Veniet tempus, quo "ipsa, quae nunc latent, dies extrahet, & "longioris aeui diligentia. Ad inquisitio- "nem tantorum aetas non vna sufficit. "Veniet tempus, quo posteri nostri tam "aperta nos nescisse mirabuntur; erit, qui "demonstret aliquando, in quibus cometae "partibus errant, cur tam seducti a caete- "ris eunt, quanti qualesque sunt. Haec verba excerpta sunt ex *citati Libri VII.* qui totus de cometis agit & perlegi meretur, *cap. XXII. XXIII. XXV.*

SCHOLION.

Hanc hypothesin magni nominis viri sub incudem recentiori tempore demum reuocarunt, ornatiorem reddiderunt, & id quod SENECA praedixit maximam partem in actum deduxerunt. PETRVS PETITVS Gallus, inter primos fuit, qui Cometas sidera mundo coaeua solidis argumentis demonstrare conatus est, multosque adsectas nactus & inter eos CASSINVM seniorem, BERNOVLLIVM aliosque celeberrimos Astronomos, quorum postremus, idem tentauit, quod de Chal-

Chaldaeis referunt veteris historiae conditores, Cometas nempe praedicere. Interim hoc systema non probauit euentus, quae causa nullibi alio latet, quam in eo, quod BERNOVLLI orbitam Cometis adscribat circularem, eosque supra Saturnum collocet. Praeter hos Germanus quidam SAMVEL DOERFFEL, Theologus Plauensis in Vogtlandia, occasione Cometae 1680. Problema proposuit, an non orbita Cometarum sit parabolica, cuius in foco sol ponendus? quo primus omnino dicendus, qui verae Cometarum Theoriae construendae ansam praebuit, a NEWTONIO Anglo, nunquam sine laudis prologo nominando, solertius & nitidius excultae, adeo vt omnia tam motus quam reliquorum accidentium phaenomena, non solum facillime inde fluant, & explicari possint, sed eadem calculo adcuratissime respondeant. Nullus iam inter celeberrimos Mathematicos & Physicos reperitur, qui calculum huic sententiae denegaret, nominasse sufficit DAVIDEM GREGORIVM, EDMVNDVM HALLEY, CHRISTIANVM WOLFFIVM, ROSTIVM, SCHEVCHZERVM, VER-

VERDRIESIVM, atque innumeros alios.

§. XIV.

Coaeuos esse mundo cometas nemo dubitat, licet omnes Newtoniano systemati non subscribant. Duo adhuc nominandi sunt viri peculiarem de cometis quamuis eos pro planetis agnoscant, sententiam fouentes. Alter est DETLEV CLVVERVS, qui in lucem publicam 1700. in 4to data *Geologia, siue Philosophomatis de Genesi ac Structura Globi terreni*, probare nititur: Cometas esse corpora mundana, siue planetas orbitam parabolicam admodum spatiosam peruagantes, qui in perihelio, ob solis viciniam accenduntur; porro deinde coniicit, eiusmodi cometam in perigaeo simul constitutum, & ideo ad globum nostrum terraqueum admodum adpropinquantem, ipsam terram non solum ex orbita sua versus solem pressurum, sed & accensurum & per consequens in cometam mutaturum esse. Legi meretur scriptum illud, multa enim curiosa in se continet, licet autor ex eorum grege sit qui chiliasmo fauent. Alter ANDREAS RVDIGERVS *Lib. II. Cap. IV. toto Physic. diuin. pag.* 393. *seq.* speciatim vero *Sect. II. huius cap. pag.* 394. eam quidem fouens opinionem, quod Cometae omnino sint corpora mundo coaeua, & pla-

planetae, non vero noſtri ſolaris ſyſtematis, ſed alius incolae, vno verbo, planetae, circa hanc vel illam ſtellam fixam, tanquam ſolem ſuum vagantes, & propter amplitudinem orbitae ſuae, ſiue illa circularis, ſiue elliptica, ſiue parabolica ſit, perinde eſt, vsque in noſtrum ſyſtema aduenarum more, iter ſuum extendentes & ſic in conſpectum noſtrum venientes, moxque ratione loci & anguli, ſub quo cernuntur vel comatos, vel barbatos, vel caudatos adparentes. Non deeſſe ipſi videntur argumenta, ſententiam eandem haud plane improbabilem reddentia, modo ex obſervationibus conſtaret, Cometam ſupra Saturnum vagari.

SCHOLION.

CLVVERVS in explicando Cometarum motu & Phaenomenis maximam partem Newtonianam hypotheſin adoptatus eſt, licet, quod de mutatione corporis planetici in Cometam, & deſtructione terrae per Cometam dicit, non vbique plauſum inuenerit. Curioſum nec ſilentio praetermittendum, quod HALLEY *in Sinopſ. Cometic.* habet, quia huic ſententiae robur aliquod addere videtur. Nam Cometarum quorundam Nodos, vbi ſcilicet eorum orbita, planum orbitae telluris interſecat,

secat, nodis terrae adeo vicinos esse notat, vt si tempus, quo Cometa in nodo, versaret, cum eo coincideret, quo terra etiam nodo propinqua esset suo, necessario sequeretur, cometam tunc velociſſime motum iri, & maximam habiturum parallaxin; quid autem fieret si ad se inuicem tam magna corpora alliderentur, coniectu facile est, praesertim quum ex NEWTONII calculo, cometa in perihelio constitutus gradum caloris 2000. maiorem quolibet candente ferro patiatur. Ad Rudigerianam hypothesin, praeter id quod iam allatum est, nihil monendum habeo, nisi immensum illud a sole nostro, Caudae vel barbis & comis cometarum originem dante spatium, quod profecto tantum est vt appendices eorum, si explicari debent, multum difficultatis creent. Omnibus omino palmam praeripit Newtoniana sententia, quare nullus dubito eidem subscribere.

§. XV.

Si igitur Cometae corpora mundi sunt perpetua, sequitur I. vt numerus eorum non tam amplus & auguſtus sit, quam hactenus per obseruationes innotuerit, id est, non tot dentur cometae a se inuicem distin-

distincti, quot notarunt historici, sed longe pauciores, absoluta per orbitas suas reuolutione, in conspectum tantum certo determinatoque tempore, iterum venientes: II. Deinde Zodiacum suum, peracta reuolutione, non semper vno eodemque puncto intersecent, vnde sequitur traiectoriam revertentis cometae, non semper in vno eodemque sydere, peracta reuolutione, occurrere, sed de sydere in sydus progredi, donec post multorum annorum spatium repetitis reuolutionibus Zodiacum suum percurrendo, iterum adprimum adparitionis punctum feratur. III. Haud raro reuolutio eorundem in tempus diurnum incidat, quo fit, vt cerni nequeant.

SCHOLION.

Cum primo etiam satis apte obseruationes congruunt; sic enim verbi causa omnia fere phaenomena cometae 1531. ab APIANO obseruati, cum Cometae Ai. 1607. quem KEPLERVS, & 1682. quem alii descripserunt, phaenomenis adeo arcte conueniunt, vt merito pro vno eodemque haberi queat, vt alios taceam, quare non opus est entia vel cometas praeter necessitatem multiplicare. *Hac ratione a vero tam aliena non est illorum sententia*, inquit VERDRIES *Phyſ. part.*

ſpec. Cap. III. pag. m. 355. qui eosdem cometas identidem reuerti exiſtimant, licet ob plures cauſas, quae etiam in planetarum apparitione & motu diuerſitatem ſaepe inducunt, ſub ipſo ad perigaea & perihelia reditu, a terricolis vel ſub alia magnitudine obſeruentur, aut etiam eorum obtutui ſe ſubducant. Vid. CASSINI Memoir. de l' Acad. Royal. Ao. 1699. variatio enim diſtantiae diuerſis temporibus a terra, aliaeque cauſae phyſicae varietatem in apparitione eorum inducere poſſunt. Secundo lumen aliquod adfunditur, ex motu lunae, quae raro nodos ſuos adtingit, ſed mox huc mox illuc euagatur, ſi enim abſoluta reuolutione ſemper in idem punctum incideret, ſingulis nouiluniis & pleniluniis ecclipſis totalis vel centralis ſolis & lunae accideret. Quot reuolutiones & quot anni requirantur, antequam eiusmodi eclipſes fiant, omnibus notum eſt. De Terrae, mercurii & reliquorum planetarum orbitis idem conſtat, vt adeo non improbabile ſit, cometas a nodis ſuis haud parum deflectere. Quoad tertium, id non ſolum NEWTONIVS ad oculum demonſtrauit, ſed & obſeruationes ipſae teſtatum fecerunt. Notatu digna

digna sunt SENECAE *Lib. VII. Quaest. Nat. Cap. XX.* verba, vbi *multos cometas non videmus*, inquit, *quod obscurantur radiis solis: quo deficiente, quendam cometem adparuisse, quem sol vicinus obtexerat, POSIDONIVS tradit.* Idem HEVELIVS *Cometograph. Lib. VIII. fol. 450.* testatur, qui tempore eclipseos solis magnae cometam interdiu in coelo deprehendit. *Possunt etiam aliae subesse causae*, scribit VERDRIES *Loc. cit. pag. 356. cur cometa a terra remotior a tenuiori luce perfusus vix conspici possit, quales in quinto satellite Saturni, qui etiam quando terrae proprior fit, aliquando in magnitudine variationem admittit, saepe per dimidium reuolutionis suae visum fugit.*

§. XVI.

Quando haec Cometae nostro adplicantur, vix dubium superesse potest, quin cum illo, qui 1707. visus est, non vnus idemque sit, & ideo periodum triginta quatuor annorum cum duobus propemodum mensibus, in reuolutione sua absoluat. Ast non sufficit eum adfuisse 1707. Mense Decembri, sed necessum etiam est, vt coelo fulserit Ao. 1673. Mense circiter Septembri; 1639. Mense Iulio; 1605. Mense Martio; 1571. Mense Decembri, & rediturus sit 1776. Mense Iunio.

SCHOLION.

Iam videndum est, an cometas circa tempora data quidam obseruati sint; sunt omnino, licet aliquot mensium interuallo a calculo nostro deflectant. Ita notabatur vnus 1672. a 16. ad 22. Martii ex Andromedae Sydere versus caput Meduſae sese mouens. 1639. nullus reperitur, quis vero credet nullum adfuisse? in coniunctione forte cum sole fuit, consequenter inuisibilis; concedamus etiam eum a sole quodammodo recessisse, quis, quum eius adparitionis tempus in Iulium mensem incidat, stellulam exigua forte luce, caudaque tenui aut nulla praeditam, in noctibus aestate parum obscuris distinguere potuit? accedit quod tempus apparitionis cum plenilunio facile coincidere queat, vt, si longiores esse vellemus, calculo probari potuisset. His simul sumtis, conclusio est facilis, cometam dicto anno sub his circumstantiis visui sese subduxisse. Qui 1605. Mense Martio conspici debuit, iam Octobri & Novembri 1604. reuertebatur, vno gradu & triginta minutis primis distans ab eccliptica, in XVII. gradu Sagittarii, attigit dextram Serpentarii & per me-

medium cygnum ad Cassiopaeae sidus vadit. Anno 1571. Mense Decembri nullus iterum notatur, nisi mirabilem illam stellam in Cassiopaea 1572. visam pro eo venditare velimus. Sed si dicendum quod res est, ea longe alius naturae & conditionis mihi videtur. Anticipauit forte cometa tempus suum, & anno proxime praecedente 1570, quod egregie etiam cum priori obseruatione Anni 1604. concordat, mensibus aestiuis iam adparuit, sed ex eadem ratione visibilis non factus, qua 1639. oculos effugit. Has coniecturas nemini interim obtrudam, sed pro meditationibus tantum, limam vlteriorem merentibus, & omni probabilitate non carentibus venditare volo. Conferantur interim ad haec, quae de his cometis dixi, DOPPELMAYERI *Tabul. Glob. Coelest.* & LVBINIETZKY *Theatr. Cometar. Tom. II. ad hos ann.*

§. XVII.

Physica cometarum constitutio ex dictis iam patet. Interim NEWTON *Lib. III. Princ. Philos. Nat. Math.* paucis ea omnia ita exprimit: *Fallor*, inquit, *ni genus planetarum sint & motu perpetuo in orbem redeant. Nam quod scriptores aliqui meteora esse vo-*

lunt, argumentum a capitum perpetuis mutationibus ducentes, fundamento carere videtur. Capita cometarum ingentibus Athmosphaeris cinguntur, & athmosphaere denſiores eſſe debent. Vnde nubes ſunt non ipſa cometarum corpora, in quibus mutationes illae viſuntur. Sic terra ſi e planetis ſpectaretur, luce nubium ſuarum procul dubio ſplenderet, & corpus firmum ſub nubibus prope deliteſceret. Sic cingula Iouis in nubibus planetae illius formata ſunt, quae ſitum mutant inter ſe, & firmum Iouis corpus per nubes iſtas difficilius cernitur. Et multo magis corpora cometarum ſub athmosphaeris, & profundioribus, & craſſioribus abſcondi debent. Si igitur ſint corpora planetica, prout vere ſunt, nullum porro ſupereſſe debet dubium, quin ſint ſolida & opaca, non rara & transparentia, vt quidam, qui inter meteora eosdem referunt, putare ſolent. Inſigni cometas eſſe cinctos athmosphaera, nemo mirabitur, qui calorem, quem ex ſolis vicinitate, in perihelio exiſtentes, patiuntur, paululum conſiderat, vnde etiam facili negotio omnia caudae, comarum, barbaeue phaenomena, quae nihil aliud ſunt, quam radiorum ſolarium in dicta athmosphaera, diuerſae refractiones, & modificationes, deduci poſſunt & explicari.

SCHO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0138
DFG

SCHOLION.

Apte satis loquitur VERDRIES *Phys. part. spec. Cap. III. pag. 355.* quando inquit: *Quod enim instar nubecularum luce debiliori illustratarum saepe adpareant, ambitu lacero & inaequali, quod nucleus vix saepe deprehendi possit, & quae sunt alia huius generis phaenomena, hoc ab athmosphaera ampliori & densiori, mutabili, esse videtur. CASSINVS quosdam contemplatus fuit, speciatim secundum anni 1665. & deinde illum qui 1682. effulsit, eorumque ambitum deprehendit ita rotundum, aequalem, nitidum, atque clarum ac ambitus Iouis esse solet.* Hac sola CASSINI obseruatione, omnes illorum opiniones corruunt, vt nebulae solaribus radiis discussae, qui exinde, quod cometae caput mutabile, & in plures interdum nucleos quasi discerptum viderunt, non quod pueri in faba invenire, sed solidissima si diis placet argumenta petere volunt, cometas perpetua non esse corpora, sed ex vaporibus nescio quibus compacta, & ideo ad meteororum gregem pertinere. Nubes igitur fuerunt nucleum inuoluentes, mox spissiores, mox rariores, & per consequens vno loco

viuidius lumen altero debilius reflectentes, quale fere faculae maculaeque ſolis habere ſolent, quas pro nucleis pluribus, eisque in varia fruſta disruptis venditarunt. Curioſior eſt RVDIGERI hypotheſis, qui, quum ipſemet nullum cometam obſeruarit, & pro corporibus mundo coaeuis tamen eos merito habeat, licet eosdem Planetas ex alio fixae cuiusdam, quas omnes ſoles eſſe credit, ſyſtemate, noſtrumque mundum ſolarem ingreſſos dicat, caput cometae ex pluribus quaſi nucleis conglomeratum, planetam eſſe, ſibi aliisque perſuadet, ſatellitibus quibusdam, Iouis, vel Saturni ad inſtar, ſtipatum, qui propter immenſum illud ſpatium, quod inter nos illosque intercedit, non adeo longe a centro, vel planeta primario recedere, ſed cum eo ampliſſima athmosphaera cincto, vnum quaſi nucleum, vnumque corpus conſtituere videntur. Audiant lectores propria eius verba, quae in *Phyſ. diuina Lib. II. Cap. IV. Sect. II. §. XXII. pag.* 401. occurrunt. *Phaenomenon vero XIII.* (de STVRMII Diſſert. de Nat. Comet. ſaepius a nobis etiam citata, haec intelligenda) *id refert, quod obſer-*

seruatum sit, cometas fuisse successu temporis in plures nucleos resolutos, hos dein faciem stellarum seorsim induisse. Sed primo respondeo, hoc obseruari non in omnibus cometis, & esse hoc phaenomenon non difficile non nostrae solum hypothesi, sed & Heuelianae, & quibuscunque aliis; fieri enim potest, vt nostra hypothesis sit verissima, & nihilominus propter ignorationem vel vnius solum circumstantiae, qualis possit esse, si forte fallacia sensus subsit, vel quod PETITVS putauit, fixae spectarentur, difficultas haec non possit tolli. Si mihi ipsi daretur, cometam contemplari, animaduerterem, an non forte illae ipsae minores stellae, in quas maior cometae nucleus resoluitur, sint eius lunae. Quoniam in suo coelo id est, quod in nostro Saturnus, & hic pluribus stipatus lunis est, plusquam possibile videtur, tales quoque lunas circa planetam extremum proximi coeli circumuolui: has propter distantiam, in vnum primo corpus videri cum cometa coagmentatas: propius vero si accedat ille, tum demum paulatim distinctius atque distinctius eas conspici: quodsi aliquae iterum euanuisse deprehensae sunt, factum id forte fuit, quoniam motu suo infra cometam se abdiderunt. An vero haec nostra coniectura vera sit,

an non, vel nobis metipsis imposterum, adplicato tubo, vel aliis, eodem modo adparebit, si viuendo aliquem attigerimus cometam. Specioſa eſt nec probabilate caret Autoris ſententia, modo ſemper certum aut ſufficienter demonſtratum eſſet, cometas ex alio ſyſtemate, vel vt Autor loquitur, coelo, noſtrum ingredi, aut terrae noſtrae non proprius accedere, quam Saturnus vel Iupiter, quod fieri deberet, ſi alius coeli eſſent incolae. Newtonianam interim tamdiu adoptamus ſententiam, praeſertim quum nupero cometae adcuratius congruat, donec veroſimilior alia nobis reddatur.

§. XVIII.

Dum haec ſcribebamus, & praeſens diſſertatiuncula, vsque ad praecedentem paragraphum, praelum iam effugerat, ad manus noſtras peruenit ſcriptum, recentiſſimum, omni ſtudio & eruditione *Cometam noſtram* depictum ſiſtens. Lubentes fatemur, quod ſi doctae pagellae citius nobis innotuiſſent, laborem noſtrum extemporaneum leuemque ſuppreſſerimus. Iam vero iacta erat alea & factum infectum fieri non potuit, quare *Lectores* iterum atque iterum praecamur, vt conatus noſtros aequi bonique conſulant, & ea intentione,

tione, qua eosdem publico exhibuimus, accipiant, cumque Celeberrimi Scriptoris placitis conferant, combinent, ac si quae minus adcurate dicta credunt, ex melioribus obseruationibus emendent. Est autem Vir ille, de quo loquimur, omni laude dignus Theologus M. CHRISTIANVS GOTTLIEB SEMLER, per alia iam scripta inter quae *Astrognosia* ante tempus non adeo longum edita eminet, orbi erudito notus, qui tractatulum lingua vernacula publicauit sub titulo: **Vollständige Beschreibung von dem neuen Cometen des 1742sten Jahres**, Halae 1742. 8vo. *Nundinis Lipsi. vernalibus.* Ex quo scripto, in supplementum nostri laboris quaedam, cum bona autoris venia, excerpemus, & *primo* quidem, de *Tempore Apparitionis*, quam factam esse 25. Februari testatur. Sed obseruatores fuerunt personae huic negotio non aptae, quare nihil notabile de prima hac obseruatione dici potest. Die 4. demum Martii, prima experimenta circa eum instituta sunt. Numerat porro Autor §. 5. *pag.* 4. iam duodecim in hoc saeculo cometas, quum vero plurimi eorum, non nostri solis, sed aliorum fuerint satellites vel planetae, nuperum iure tertium tantum saeculi decimi octaui dicere possumus.

SCHO-

SCHOLION.

Egregie cum coniectura noſtra, ſupra adlata conſpirant obſeruationes, vbi cometam iam medio Februarii viſibilem imo & caudatum ſuiſſe credidimus. Erit fortaſſe aliquis, qui iucundum hoc phaenomenon etiam dicto tempore obſeruauit, & nobiſcum aliquando obſeruationes ſuas communicabit.

§. XIX.

Quod *ſecundo* ad *Formam* cometae adtinet, eam non aliam exhibet, quam nos deſcripſimus. Barbatus enim vel caudatus primum fuit, poſtea, crinitus, adparuit, & poſtremo ſine omni nebula, ſtellae ad inſtar luce admodum debili praeditae, viſus eſt. *Tertio* ratione *Capitis* ſequentia profert. Nucleum & Athmosphaeram, tam nudo quam armato oculo viſibiles fuiſſe teſtatur. Die 27. Martii nudis oculis nucleus ſolum, athmosphaera autem, non niſi per tubum & quidem admodum difficulter conſpici potuit. Die 4. Martii, ſtellam primae magnitudinis, aequabat, die 11. Martii magnitudine inter primam & ſecundam adparuit. Die 21. quartae, die 27. vix ſextae magnitudinis ſtellam referebat. Capitis lumen ſplendidius erat illo in cauda. Nubes cometae nucleum ob tegentes in cauſa ſunt, quare

quare faculis quasi & maculis stipatus videtur. Dignus est §. *16.* vt legatur, quia de incolis cometae aliquid dicitur, quos adesse summo probabilitatis gradu concludit, suamque *Astrognosiam* §. 315. *pag.* 110. *ad* 114. citat. *Quarto* ad *caudam* progreditur, de qua sequentia refert. Ea ob initio satis longa, in extremitate latior fuit quam in principio, post 24. Martii cuspidata. Visibilis erat a 25. Februari ad usque 25. Martii post hanc diem, nucleus quidem, sed sine cauda visus est. A 12. Martii vsque ad plenilunium, quamuis sine dubio adfuerit cauda, vix imo ne vix quidem, praesertim 21. 22. & 23. Martii, propter lunae plenae splendorem, oculis vsurpari potuit. Die 11. Martii, cauda quae huc vsque recta fuit, in extremitate parum incuruata est. Prope caput trium vel quatuor graduum mensura, quasi ignea videbatur, postea magis magisque factum est lumen, vel splendor, debilius. Die 11. Martii latitudo eius erat, prope caput, triginta minutorum, vel dimidii gradus, die 24. Martii vix duodecim minutorum. In singula fere momenta erat mutabilis, mox viuaci, mox debili luce praedita; mox longa, mox iterum breuis; Quam variationem etiam supra descripsimus.

SCHO-

SCHOLION.

De tam notabili caudae variatione, quae omnium curiosissimum fuit phaenomenon, adeo vt Delphenses dubitarint, an cometa fuerit, propria audi Lector Autoris verba §. *XIX. n. 8. pag. 19.* **Wie ein schwacher Strahl eines Nordlichtes sich beweget, und bald helle, bald blaß aussiehet, bald lang und bald kurtz ist, so war auch der Schwantz des Cometen anzusehen, denn offt innerhalb einer einzigen Minute hatte er sich etlichemahl also verändert. Zuweilen schien es, als wolte er gar verschwinden, und schien nicht anders, als wenn eine Flamme vom Winde getrieben wird, daß sie bald kurtz, bald lang, bald helle, und bald schwach erscheinen muß.** Aliam obseruationem non minus iucundam §. *XXXIII. pag. 29.* exhibet, quam simul annectere lubet: **Man konte die Fixsterne durch den Schwantz sehen. Den 11. Mertz bedeckte er damit den Stern der vierten Grösse der Spitze des rechten Flügels des Schwaanes, welchen** BAYER **mit** k **bezeichnet, und den 24. Mertz bedeckte er den Stern der sechsten Grösse, welchen** BAYER **ausgelassen, und auf** ANDREAE **Zugeln der**

der 21ste ist. Wenn der Schwantz helle war, konte man die Sterne dahinter nicht so gutt erkennen, als wenn er dunckel war, welches mit HOOCKENS Observation übereinstimmet, daß die Fixsterne zuweilen wären von denen aus dem Kopfe fahrenden Flammen verdunckelt worden. (§. 15. 23.) postea §. *XXXIV. pag. 30.* Tabulam addit, vt longitudinis cauda vno intuitu in oculos incurrant, cui, quae praeterea nos adduximus, superaddi possunt.

Locus.	*Dies Martii mens.*	*Longitudo secundum Gradus*	*Hora diei*
Hagae comitum	4.	6.	-
Harlemi	6.	5.	mane post 2.
ibidem.	7.	6.	mane circa 3.
Leidae	8.	9.	mane post 3.
Gottingae	11.	3. vel 4. lumine viuo, 8. vel 9. lumine debili.	circa mediam noctem.
Berolini	11.	1.	circa 9. & per
Halae	24.	2. vel 3.	totam noctem.
ibidem	24.	1. cum dimidio & 2.	circa 7.
ibidem	26. & 27.	nulla cauda, licet coelum esset serenum, in conspectum venit.	

Modum determinandi veram caudae longitudinem tam ope Geometriae, quam

quam Trigonometriae ipse Autor in *Astrognosiae* suae *Cap. III. §. CCCXIII. pag.* 258. quam citat, monstrauit.

§. XX.

Quinto recensentur *Obseruationes Astronomicae* diuersis in locis circa cometam nostrum institutae, inter quas tres tantum postremas, ab Autore, vt videtur factas excerpere, nostrisque supra propositis superaddere volumus. *Vid.* §. 35. *n.* 6. 7. 8. "*pag.* 33. Die 11. Martii mane circa quar- "tam distabat a lucida lyrae 12. Grad. 25. "minut. versus Septentrionem ad Cassio- "paeae sidus. Die 24. Mart. vesperi circa "nonam erat in veste Cephei, ita vt cum "stellis π & 21. in ANDREAE Globis re- "ctam constitueret lineam. Cauda inter "extremas duas stellas Caudae Vrsae mi- "noris erat porrecta, medio tamen proxi- "mior quam polari. Die 25. Mart. vesperi "circa septimam locum occupauit in veste "Cephei, non procul a stella, quam BAYE- "RVS quidem omisit, at ANDREAS in "Globis suis 24tam dicit. Cauda vix in "oculos incurrens polo propius videbatur "quam heri. *Postea* §. *36. pag.* 34. Altitudines variis in locis instrumentis conuenientibus inuestigatae exhibentur, quas sequenti Tabula, ob oculos ponemus.

Locus.

Locus.	*Dies Mens. Martii.*	*Hora.*	*Altitudo juxta Gradus & minuta prima.*
Harlemi	6.	$2\frac{1}{2}$ mane.	22°. 30′.
Leidae	8.	post 4. mane.	46°. 45′.
ibid.	11.	6. vesperi. post ☉ occas.	9°. versus Septentrionem.
ibid.	11.	4. mane.	52°. 30′.
Gottingae	11.	circa 12.	36°. versus Septentrionem.
Halae	11.	post 3. mane.	51°. 47.
	Gradus qui hic notantur, erant tantum Altitudo adparens subtracta refractione, vera autem fuit		51°. 50′.
	per consequens reperta est Parallaxis		- 3′.
ibid.	24.	versus 9.	53. -

SCHOLION.

Ex omnibus obseruationibus praestantissima est *Halensis prior*, quia parallaxis per eandem inuestigata est, ex qua deinde facili negotio Distantia Cometae a Terra determinari queat. Determinauit etiam eam Clariss. Autor.

§. XXI.

Sexto Verum Cometae *locum* determinat, primoque demonstrat, eum supra lunam haesisse §. *43. pag. 38.* postea §. *44.* adcuratius eius distantiam a terra, sequentem in modum exprimit. Vndecima Martii parallaxis reperta est 3. Minut, ex quo sequitur

"quitur tunc eum a tellure remotum fuisse "1342. Semidiametros terrae, vel quod "perinde est 1154120. Milliar. Germ. Si "igitur luna in maxima distantia tantum "61. Semidiametros terrae a Globo nostro "terraqueo distet, sequitur vt remotior "fuerit a terra quam luna 1101660. Millia- "ribus. Martis orbitam ingressus est prae- "fato die.

SCHOLION.

Merentur adduci propria Autoris verba §. 43. *num.* 3. *pag.* 38. quibus prae caeteris demonstrat, eum vltra lunae sphaeram fuisse eleuatum. **Denn des Cometen seine geschwindeste Bewegung war in 24. Stunden etwa 6. Grad, des Mondens seine aber ist über 13. Grad. Nun ist bekannt: daß eines nahe stehenden Cörpers Bewegung geschwinder scheinet, eines entfernten aber langsam; folglich da der Comet langsamer als der Mond geschienen, so muß er nothwendig weiter als der Mond weggestanden haben.**

§. XXII.

Septimo Lumen cometae explicatur, quod nudo oculo debile vt in Saturno, armato autem vt pruna candens adparuit. Marti eodem est lumen. Quo concluditur eundem magis a Sole quam Venerem terramque

que distasse. Si igitur media telluris distantia a sole, ex CASSINI calculo, est 22000. Semidiametrorum terrae,& cometa 1342. Dimidiametros terrae a tellure remotus fuit, consequens est, vt 23342. Semidiametros terrae supra solem steterit.(*) *Octauo motus* rimatur. Cometae ad solem accedentes, celerius indies mouentur, & quidem ab Austro versus Septentrionem; recedentes a sole tardius procedunt, & quidem a Septentrione versus Austrum. Noster satis celeri motu ab initio gaudebat, nam a 6. ad 7. Martii diem sex gradus, a 7. ad 8. quatuor emensus est, deinde tardiori cursu processit, nempe a 24. ad 25. triginta tantum & quod excurrit minuta prima, a 26. ad 27. vix quinque minuta absoluit. Ex quo sequitur, eundem, quamdiu visibilis fuerat, a Sole & a Terra recessisse. Motum etiam circa propriam axin ipsi adscribit Autor. Id etiam notabile est, quod in longe alio Zodiaco, quam quem CASSINI cometis assignauit, iter suum absoluerit. Si ROSTIVM *im Aufrichtigen Astronomo Probl.* 34. *pag.* 127. *seq.* sequaris, orbitam adparentem siue cometae nostrae Zodiacum

(*) Hi Semidiametri terrae, cum 860. milliar. germ. multiplicati, qui numerus Semidiametro terrae aequalis censetur, 20074120. Milliar. germ. conficiunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936964/phys_0151
DFG

inuenies *Anserem vulpeculae*, *Cygnum*, *Draconem*, *Cepheum*, *Camelopardum*, *Aurigam*, (*vel Lyncem.*) *Geminos*, *canem minorem*, *Monocerotem*, *Argonautarum nauem*, *Piscem volantem*, *Pauonem*, *Sagittarium*, *Antinoum* & *Aquilam*.

SCHOLION.

Non possum non, quin ipsa Autoris verba adferam, quibus cometae motum circa propriam axin adsignat. §. *58. pag. 42.* Es drehen sich alle Himmels-Cörper um ihren Mittel-Punct: darum kan der Comet nicht ausgeschlossen werden. Diese Bewegung aber ist geschwind in grossen und langsam in kleinen Cörpern. (ob vim centrifugam & centripetam maiorem vel minorem) Da nun unser Comet klein ist kan seine Bewegung um den Mittel-Punct nicht anders als langsam seyn; ja weil er kleiner als der Mond ist, (§. 71.) so muß er sich langsamer als der Mond drehen, und dieses ist eben die Ursache, warum sie biß dato von keinem Astronomo obseruiret worden. Ja ihr könnet hieraus erklären, warum der Comet fast täglich anders durch Ferngläser gesehen wird. §. *59. pag. 43.* In meiner Astrognosie *Cap. III. §. 314. pag. 259. seq.* habe zwar be-

behauptet, daß diese Bewegung nicht zu glauben stehe: weil der Schweiff sonst zerstäubet werden müste, indem er nicht so geschwinde nachfolgen könte. Es ist eine Sache, davon ich meines Wissens zuerst was gedacht habe, indem kein Sternseher sie weder leugnet noch zugiebet. Folglich hat es mir, meiner eignen Einsicht nachzufolgen, frey gestanden, weil ich keinen Anweiser gehabt, der mir etwas bessers lehren und beweisen können. Als aber die Sache reiffer erwogen, habe befunden: daß allerdings diese Bewegung den Cometen zuzuschreiben sey. Und der Einwurff von Zerstreuung des Schweiffs, kan leicht gehoben werden; dann da sich der Comet langsamer als der Mond drehet, welcher einen gantzen Monath zubringet, ehe er einmahl herum kommet, so kan der Schweiff bey dieser langsamen Herumdrehung nicht zerstäubet werden. Tota Sectio lectu digniſſima eſt, ſed excerpere tantum volo opuſculum non deſcribere, quare hic deſiſtendam eſt.

§. XXIII.

Nono in veram & adparentem Cometae *magnitudinem* inquirit. Die 6. Martii adparens

parens diameter cum micrometro mensus 50. minutis secundis aequalis erat. Terra vero si ex Cometa spectaretur 6. minutorum primorum diametro gauderet. Ex his vera cometae magnitudo expiscatur. Conf. *Autoris Astrogneſ. Cap. III. §. 312. pag. 257. Cap. I. §. 74. pag. 33. seq.* Verus igitur est Cometae diameter 239. *Milliar. germ.* peripheria 750. superficies 179250. *milliar. quadrat*, & corpulentia 1613250. *Mill. cubica.* Iam verus Lunae diameter aequalis est 460. *Mill.* Terrae vero 1720. *Mill.* vnde concluditur, Lunam 31. vicibus maiorem, & tellurem 1650. vicibus esse maiorem cometa. Sed haec intelligenda sunt, de Cometae diametro cum sua athmosphaera simul sumta, nam nuclei verus diameter, vt Autor §. 73. testatur *pag. 48.* tantum aequalis erat 95. *Milliaribus*, (*) vnde sequitur eius athmosphaeram 72. *Milliar. germ.* adscendisse, altioremque fuisse $5\frac{1}{7}$. vicibus quam Lunae & 18. vicibus, quam telluris athmos-

(*) Si ergo verus nuclei diameter sit $= 95$. *Mill. germ.* sequitur vt sit peripheria $= 298\frac{3}{10}$. *Mill.* & corpulentia 498352. *Mill. ger. cubic.* Ideoque minor est, corpus vel nucleus cometae, lunae corpore $10\frac{3765184}{498352}$. vel propemodum $\frac{5}{7}$. vicibus; telluris corpore $5868\frac{230464}{498352}$. vel propemodum $\frac{1}{2}$. vicibus. Saluo errore calculi.

mosphaeram. Adparens caudae longitudo reperta fuit 6. Martii 6. graduum, latitudo prope caput 38. minutarum prim. per consequens erat vera longitudo 140. Semidiam. terr. vel 120400. Milliar. germ. Vera latitudo 14. *Semidiam. terr.* vel 12040. milliar. germ.

SCHOLION.

